

IHS
Prosę, et Carmina
Francisci Guarini Lupiensis.
è Societate Iesu,
Prępecti Studiorum
in Collegio
Neapolitano
eiusdem
Societatis.
Neapoli,
Ex Typographia Iacobi Raillard
1682.

ILLUSTRISS. ET EXCELL. DOMINO

D. EMMANUELI

PINTO DE MENDOZA

EQUITI CALATRAVÆ,

PRINCIPI DE ISQUITELA

DOMINO DE JULIANO, ET PESQUICI,

Regio Scribæ Majori Portionis Regni Neap.

NEC consilii, nec instituti mei ab re fuerit, Excellentissime Dom., si legenti Tu primùm occurreris: non enim nisi magnum putabitur quod tuum est; & quæ abs te initium ducunt, auspicatò pergunt. Nemo homo proinde erit, qui me inscitiæ arguat, quòd Tibi quicquid mei hoc in opere est dicaverim: Et sanè haud

† 2 ipse

ipſe fui tam imprudens rerum æſtimator, ut Patronum non delectu, atque conſilio, ſed ſorte, ac temeritate quæſierim. Vidi planè quid ſibivellent in nobiliſſimo Equite magna fortuna, comitas major, pietas maxima: ſcilicet quem nec genus ſuperbum, nec opes prodigū, nec facilitas impium, nec inſuavē religio facit; quæ omnia tē perare,atq;uno veluti nexu vincire,virtutis penè divinæ eſt. Tēperas autē Tu hæc ipſa tibiq;aſſeris Ampliſſime Emmanuel, Nobilis, Dives, idemque Religioſus, Blanduſque. Iſtuc nempe fuit quamobrem numen de more huic libellulo comparaturus, tuū nomen ipſi conſultò præfigerem. Atque hic maximo animum opere advertas velim: munus, quod Tibi propono, Pomum eſt ſanè aureum, at non ſolo, non arbore natum mea; altioris ingenii, exquiſitioris culturæ fructus eſt. Unde idcirco me quis furem appellet, ni potius de rapina, deque illata vi accuſer. Quare ſi hanc manum expendis; nil eſt quòd agas, nedum referas gratiam: ſi munus; vide ſis ne virtuti, ac ſapientiæ injuriam irroges: magnum quippe illud oppidò eſt, atque amœnioris diſciplinæ ſucci plenum, quà ſoluta, qua numeris adſtricta oratione: ubi nec Tullii nervos, nec Terentiano melle oblitam feſtivitatem deſideres: nec Maronis induſtriam, nec Tibulli ſuavitatem, Catullianos jocos, aut Horatianos ignes requiras. omnia in eo ſunt omnibus

nibus numeris abſoluta; non quòd Auctor ab initio typis iſthæc deſtinaret: ille enim is eſt, qui ſe, ac ſua tantum celat, ac deſpicit, quantum cæteri produnt, ac celebrant; ſed quia quicquid id genus parit ille, quem ſuum Latium, ſuum Athenæ, ſuum Roſtra, ſuum Lycęa, ſuum Pindus vendicant, perfectum illico eſt; atque utinam noſtris ille oculis, noſtraq; mente aliquando uteretur! videret profectò quantam literis gloriam, quantam ſibi laudem adimat ea premendo, quæ publicam jamdiu merentur lucem. Et hinc tandem illius hac in re ſeveritatem intellige: quando noſti, quæ ſit prurigo prodendi operis, quod probatur. At vir jam omnes diſciplinarum ſedes aliam ex aliis gradatim egreſſus, ſeverioribus ſtudiis addictus, (in quibus ambigere eſt uter alteri præſtet, acumen candori, an acumini candor ingenii?) iſta tanquam puerilia nihili habet; ac niſi modò clam, modò etiam vi cum ipſo egiſſem, jacerent adhuc tenebris damnatæ formoſiſſimæ muſæ, lauroque egregia in paucis tineæ victitarent. An verò æmuli venena lectoris, & duri dentis admorſum is vereretur, cui nihil unquam addidit aliena gratia, aut dempſit invidia? Ingratiis ſcævo cuique, proboque laudabilis eſt. Sed hæc ipſa nec obſcura ita ſunt, ut teſtimonium, nec dubia, ut laudationem poſcant: & ille quidē adeo iactantiæ fugax eſt, ut æquiori animo te-

rum ſuarum furem patiatur, quàm proditorem. Quid? uſque eò gloriæ non eſt avidus, qui etiam tutò ſimularet aliena eſſe, quæ ipſe elaboraſſet. vide igitur quanti id muneris ſit, illudque etiam cogita: haud me Tibi profani thuris acerra litare; Succinctas enim muſas, integerrimas, & omnino Virgines hic ſiſto, eo parente natas, cujus non probior vita, quàm pagina, cujus non minora ſunt oris ornamenta, quàm pectoris. Quod autem ita ſit, gaudere enimverò debes; cum optima, & maximè ſpectata non niſi ſpectatiſſimis debeantur viris. Quibus autem non ſpecteris, qui tantus es? Te profectò non aſpiciunt modò, ſuſpiciunt etiam omnes. Neque verò velim arbitreris me id conſilii nunc aggredi, quo tui quà nominis, quà animi ſplendorem commendem: Etenim adeo id omne illuſtre eſt, ut quanta quanta ſit quæ ex maxima laudatione lux poteſt accedere, abundè, imo nèquicquam omnino ſit. Itaque qui Te novit, (noſcunt autem quicumque te vident, uſque eò oris dignitas animo eſt conſentanea) nec dum illuſtriſſimum fatetur, caligat in ſole. Ecquæ autem commendatio tanta eſt, quæ tantæ amplitudini non impar ſit? Iam verò exiſtimationi de Te meæ non ita placere volo, ut Tibi diſpliceam; ſcio namque tua merita Tibi uni non probari, præterea nemini: Jllud amplius didici, optimorum non eſſe laudem: nimirum ubi omnia ſis meritus, unum

ob

ob id mereris, non posse laudari. Laudentur cæteri, quorum refractariam indolem virtus, cum sepè oppugnet, expugnet rarò; non Tu, cujus ingenium natum est advirtutem. Ii, inquam, laudentur, quibus animus obtigit virtuti contumax; non Tu, qui eum nactus es ad gloriam de se pronum. Trahuntur illi, Tu duceris. duceris inquam? etiam ruis. quare ubi reliquis stimulo, Tibi usus est fræno. At, inquies qui me laudaveris, cum ita non laudas? benè mones; verùm nequeo tantum à laudibus tuis abstinere, quin ex parte promam quod sentio; Ea tamen dicendi ratione utar, qua longissimè ab adulatione videar discessisse; neque scripturæ huic meæ quicquam cum iis est, quarum prolixior illa, & jam pro malo usu vulgaris laudum cantilena ex hoc pendet, ut quàm apertissimè mentiantur venali sanè, ac meritorio stylo. Tametsi tua Amplitudo suspicionem hanc omnem avertit: Major enim es, quàm adulari possis. Dicam quæ tua non sunt, sed Majorum tuorum, quòd hæc vulnerare nequeāt modestiam tuam: videlicet flocci facis alienam laudem, Tibique pudet Te vindicare quod non est tuum. Et sanè non est cur avis invideas, qui ut sanguinis, ita & studiorum æmulator egregius, vestigiis utique non imparibus ad gloriam incessisti; cujus quidem rei præclara dant testimonia, Regia, queis fungeris, munera, quibus eò major Tibi reverentia accedit, quòd Regum penetralia haud

pau-

paupere clavo
Advena pulsasti, sed præcedente tuorum
Agmine. Quippe
Non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem
Plebeja de stirpe tulit.

Sousiorum familia natus es, ea, inquam, quæ quater Regibus Lusitaniæ nupsit, semel Regibus Galliæ, atque Castellæ; quam antiquissima dominatus insignia decoravere; unde extitere Marchiones de Arronches, Comites de Santiago, & Bedordo, Domini de Govea, & Bajan, atque alii proceres majores, quàm numerari possint, sago, togaquè, ac trabea etiam palmari, Martioque paludamento spectati; quos inter toto vertice supra est Egas Gomez de Sousa, qui Tunetis Rege profligato, vanescentem lunam ex hostilibus signis raptam, sibi trophæum, nepotibus stemma fuisse voluit. Ab hac, inquam, Familia ortum habes, istorum virorum sanguine cales. Quod si posthabito de Sousa cognomine recentiores Patres tui de Pinto appellari maluerunt; tribuendum id est Ioanni Garzia Pinto, Garziæ Mendez de Sousa filio, qui tanti nominis gloriam incredibili cuidam benignitati postposuit; cum enim ob exquisitam morum elegantiam ubique locorum Pinto audiret, adeo sibi in id generis titulo placuit, ut Pintorum familiæ suæ nomen invexerit. Ita deinceps dicti Domini de Alegrete,

de

de Ferreiros, de Tendais. Quid hic referam Gonsaluum Pinto Brabantiæ Ducis signiferum principem? Quid Alfonsum Pinto, de quo Philippus III. illustre privilegium tulit, non sibi tantùm, sed septem suis liberis nominatim profuturum; quos inter est Aloysius Freitas Pinto optimus parens tuus, qui præclarissimis muneribus pro Hispano Rege defunctus, tùm si equitatui Dux quærererur, cùm si senatui Consiliarius, Neapolim appulit Pintorum primus ab Emmanuele patruo suo (hic septem supra triginta annos hac in urbe honorificentissimè degit, Equitatus Dux, Militiæ Tribunus, Tormentariæ rei Præfectus) ubi in amplissimam familiam nupsit, ac Te tandem parente maximo majorem filium ex Catharina de Mendoza optimo loco nata suscepit. Macte ista nobilitatis gloria vir fortunatissime, ac perge Tui similem esse, quanquam enim non deficiant quæ Tibi de tuis exempla proponas, neminem à te habes clariorem. Adeo autem majoribus præstas, ut vestri nepotes cum se clarissimos jactare voluerint, satis, superque sit tua unius memoria. Te igitur imitere, tecum ipse certes: quod verò ita sit, gratulatio magis, quam hortatio est opus. Hæc habui, quæ Tibi, qui veritatem amas, non veri speciem, citra fucum, citra palpum narrarem. Quod si cui nil satis dictum videbitur; det id si minus culpæ amplitu-

tudini tuæ, ſaltem mihi diffidentiæ : Ea enim eſt conditio eorum, qui maximè excellunt, ut nimium merentibus nullo unquam honore fiat ſatis.

Excell. Veſtræ

Humill. & deditiſſimus Servus
Petrus Hieronymus de Fuentes Soc. Ieſu.

LE-

LECTORI AVTHOR

Quicunque scribunt, ac suismet lucubrationibus magna operæ pretia in republica literaria merentur, illud principiò sibi sumunt, ut Lectorem admoneant consilii sui. equidem accurare istuc pensum minimè habeo, ut qui ne scriptor quidem vix unum, alterumve malè feriatum obtinuero, qui semel legendo, & pluries oscitando percurrat nugas has meas. quare illud ad me magis nunc pertinet, excogitare scilicet, quo ipse modo apud criticos, censoresquè frequentes, per quorum ora traduci vel æquissima solent, scriptionem hanc undequaque intempestivam si non omninò, at ex aliqua saltem parte probem. sed utut excutiam diligentissimè totum me: profectò ad eluendam, seu potiùs elevandam aliquantisper invidiam nihil invenero, quod excusem. urget enim me illud quàm maximè, quòd homo jam diu multumquè ab Apolline, & lauro desuefactus, anthoratusquè à longo tempore majoribus disciplinis, nec tutè, nec decenter converti me ad istas sine cura curas, & otiosa negotia juventutis; idquè eò magis: quia musas istas mansuetiores ne bona quidem ætate, qua libentissimè ad amœna, molliaquè istæc studia promittimus, duriusculus ego natura in oculis habui. hinc mihi cum ipsis nec arcta, nec diuturna unquam necessitudo intercessit; sed amavimus inter nos breve tempus, in transitu, & oppidò perfunctoriè. nunc autem mala hac,

&

& vergente in senectutem, post delassatas alibi vires, ac propè accisas, eadem tantùm non invisæ. desii proinde, ut par erat, omnino artem, eamquè jam diu habui pro derelicta: quod mihi cùm sanè gratum, tum etiam necessarium accidit, animo ad severiora, viroquè longè digniora traducto. Igitur quo consilio, nedum jure factum esse dicam, ut perindè ac si graviora studia alienaverim, ad hæc levissima, tantummodo libata olim, ex intervallo maximo desueta, alieno prorsus tempore, mentem animi seriò, quemadmodum nunc videor, adiicerem? Equidem fateor, peccasse in hoc loco me multipliciter, copiosequè: ut illi solent, qui, quæ supra, vel præter ipsos sunt, affectantes, suo neutiquam se pede metiuntur. & est hoc commune cum omnibus vitium, ut ne, quæ sunt in rem nostram, nostri amore perspectè intelligamus. lactamus propterea, & ludimus supra modum nos ipsos, qui nostra qualiacunque, gratè decepti, in maxima laude ponimus, atque unicè amamus. hinc illa facilis æquè, ut fallax conjectura, probaturos omnes, quæ nobis unis probantur: laudaturos, quæ nobis vertimus laudi. Jam verò quàmvis ipse quoque homo inter homines sim: quodquè est humanum, à me minimè alienum putem; arrogo tamen citra impudentiam mihi, non hallucinari sic, ut existimem, esse me in Parnasso aliquem, locumquè tenere honoratum inter scriptores. patior ipse quidem, & fortasse plus aliis, præstigias meas; sed in re tam manifesta, & meridiana luce multò clariore tur-

piter

piter decipi, non arrogantiæ modò, sed multò magis dementiæ esset. itaque qui mediocritatem, nec ipsam auream, in scribendo meam volens nolẽs ante oculos habeo: ut propter hæc, æstimato ad ultimũ scrupulum toto asse meo, vix inter proletarios, infimæquè sortis sapientes me semper censuerim; cõjeci statim à principio, laborem istum, ad quẽ crebris amicorũ hortationibus aggrediebar, improsperè successurum: & has ipsas lucubratiunculas, junioris olim ætatis succisivas operas, & infelices exercitationes, inter abortientis ingenii rejectus, scriptionumquè quisquilias nõ sine cordatorũ stomacho habendas. quam ob rem respiciens in tempore dignitati meæ, verteram jam in tabula stylũ, una satis superquè contentus laude verecundiæ. at istam ipsam laudem extorsere demũ de manibus, pro sua ipsorum benevola credulitate longè alia polliciti, homines nõ alieni mihi, rursusque eò, undè pedem cautus receperam, impulerunt, non satis cogitantem, atque extinguentem, quid inter veritatis, & humanitatis officia interesset. Ergò inclusus jam in hoc ludo, cum non sit integrũ, ab incœpto desistere, illud unum habeo loco perfugii, ut ipse tuam, benigne Lector, humanitatẽ veniam imploratum: hac una defendam mihi certò impendẽtem ab audacia ruinam. si quid in rem, si quid in artem (quod sæpiùs eveniet) tu sapientissimus peccasse me, deprehenderis: noli implacabiliter irasci: noli exibilare, & spargere in vulgus, quæ sanè maxima est, inscitiam meam. potiùs, quod benigni, ac

proin-

proinde ingenii tui eſt, liberaliter ignoſce, & linguã occlude, ſi potes. ipſe intereà votis precabor omnibus, ne tu in hanc candẽ flammã venias aliquãdo: ſed ſcribas longè optima, exquiſitiſſima, admiranda vel Zoilis ipſis, Apolline tibi nunquam, ut mihi ſemper irato. Vale.

EMI-

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOM.

PRosæ, & Carmina, quæ ut amœnissimi ingenii sui partus obstetricante prælo, in lucem editurus est eruditione non minus, quàm pietate conspicuus Adm. Rev. P. Franciscus Guarinus è Societate Jesu, & in ejusdem Societatis Neapolitano Collegio generalis Studiorum Præfectus, talibus innocentiæ prærogativis præfulgent, ut nullo prorsus indigeant censuræ expiari baptismate; cum nulla penitùs, quæ Religioni Catholicæ, aut bonis moribus adversetur, macula fœdari contingat. Imprimi igitur posse censeo librum hunc; quod abs te etiam probandum, Eminentissime Princeps, in dubium revocare non audeo. Neap. ex nostris ædibus die 30. Sept. 1681.

Eminentiæ Tuæ Rev.

Humill. atq; devinctiss. Servus
Carolus Lombardus Cong. Orat. Dep.

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neap. sub 1. Decembris 1681. fuit dictum, quod stante supradicta relatione Imprimatur.

STEPHANUS MENATTUS VIC. GEN.

Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theolog. Emin.

EXCELLENTIS. PRINCEPS.

IAcobus Raillardus Excellentiam Tuam humillimè rogat, ut liceat sibi in lucem edere Librum, cui titulus, *Prosæ, & Carmina* P. Francisci Guarini Lupiensis

LIBER PROSARVM.

Eminentiſſimo Cardinali Caracciolo, primam Diœceſanam Synodum habente, anno 1669. ipſo Sanctiſs. Pentecoſtes die, ad Clerum in Principe Eccleſia coactum.

ORATIO I.

SI quæ ſemel à majoribus noſtris rectè conſtituta, diu ſine vitio habita, in omne poſterum tempus ſemper incorrupta perſiſterent: ſupervacaneus proculdubio foret conventus iſte, laborq; pœnitendus, Præſul Eminentiſſime. nunc verò ſic habent humana, ut quamvis in prima ipſa conſtitutione deſideratum nihil fuerit, nihil prætermiſſum, quod videre, aut providere decuiſſet, tamen mortalitate ſua quaſi pondere retroacta inclinentur primò, mox præcipitent: niſi

identidem eò, undè dilapsa sunt, in tempore retrahantur. hinc prudens illa Patrum institutio, ut habitis interdum comitiis, in quibus flos Ecclesiasticici Ordinis cogeretur, viderent optimi quiquè, si qua parte damnum fecerit disciplina: si tabes furtim aliqua mores invaserit, quam strenuè excindere oporteat, ne totum Reip. corpus diffusa sensim contagio depascatur. Iam autem vehementer gaudeo, etiam lætor, hanc ipsam procurationem, gravissimamque provinciam ad vos, Amplissimi PP. hodierna luce deferri; novi enim quanto unusquisque vestrum religionis studio ardeat, quo flagret desiderio divinæ laudis, salutisque humanæ, cui vitam Deus ipse suam posteriorem habuit. equidem ex hoc loco circumspiciens Senatum istum, omnibus ornamentis, iis maximè, quibus maximè Sacerdotium ornatur, Sapientia, & Sanctitate cultum in primis, cui ad splendoris cumulum, columenque æternæ felicitatis datus est nuper cum privata Dei cura, qui summus sedeat in summo, clavumque teneat rectissimum ipse rectissimus, non possum non triumphare, gratulationēq; immortalem facere bonorum omnium largitori Deo, cujus munere in ea degimus Ecclesia, quæ, ut dicam moderatissimè, multas de optimis superat, à nulla quamvis optima superatur. Sed tamen, ut fit in rebus humanis nunquam non trepidis, dum lætus ista video, contēplorque, insinuat se molestus quidem, sed non ille intempestiuus timor, ne ista ipsa felicitas, ac tot in unum scopum collineantia bona cōtra nos faciant. audio quippe malè sanam vocem vicissitudinum humanarum parū gnari: Quorsum, inquit, consessus hic recens? quæ tanta præter rem, tamque solicita trepidatio? munimur enimverò, atque defendimur sanctissimis undequaque legibus: undique æquissimis sanctionibus perinde, ut muro vallamur. quid enim non introspexit invicta vigi-

lan-

lantia majorum? quid intactum reliquit? ubinam publicæ incolumitati minimum defuit? ut jam coactis ab omni parte præsidiis, omnique antidoto ostensa, penè plura sint remedia, quàm mala. Ergò liceat nobis æquè extra aleam, atque extra metum esse: liceat uti beneficio posteritatis, quæ non ignavè, sed feliciter alieno labore potitur. imposita certè coronis est: suprema manus ducta: omnis exhausta cura. si quid nos ultrà curamus, si quid movemus ultrà, actum sanè agimus, nō sine ampliùs clarissimorum injuria virorum: quando videmur, aut emendare, quod ineptè, aut cumulare, quod minus abunde ipsi præstiterint. Sed mihi mens est longè alia, PP. censeo quippe de priorum solicitudine nihil vos tuta laude posse remittere. debere potius addere aliquid ampliùs ita, ut florentissimus hujus Ecclesiæ status, non solùm non faciat vobis otium, sed etiā postulet vos maximè actuosos, hoc præsertim tempore, hac ipsa die, qua vigilantissimo Præsuli, de toto sacrorum corpore deliberanti, in consilio adestis. Atque hoc ipse vel ex eo maximè coniicio, undè aliquis contrarium coniicere videbatur. Leges jam multas habemus: quis neget? cuncta vidit incredibilis vigilantia majorum; esto. num propter hæc soluti vos omni cura estis, omni officio? imò ter tanto ampliùs, quàm illis, est vobis incumbendum, quippe quibus pars difficillima relicta est. Illorū industria fuit ferre leges: vester labor est latas in rem, executionemque conferre; quod tantò difficiliùs accidit, quantò accidit faciliùs imperata ferre, quàm facere. Errat, & vehementer errat, qui, quòd legem condidit, quòd in ære incidit, aut marmore, quod ostendit publico, rem sibi factam putat. non est illi facta profectò. restat, quod caput est, quod est unicè spectandum, cura obedientiæ. Quoties enimverò nostra culpa fit, ut, quas leges authoritas figit, refigat audacia: & deficien-

te ſucceſſu in tabulis illæ, velut in tumulo conditæ, ludibrio magis ſint, quàm præſidio? Videte igitur quanta vos moles premit; quantum Cœlum veſtris incumbit humeris; quæ cura, quæ ſolertia ad vos pertineat, ad quos nulla pertinere videbatur. reſpicere vos retro oportet, penſare feriò, quæ in præſens rogatis olim legibus reverentia eſt, quæ obſervantia: ut, ſi fortè aliquas omninò ſilentes, proſtratas, conculcatas furore peccantium deprehenderitis, excogitetis intimè, qua via, quibuſve artibus priſtino eas loco, dignitatique reddatis. Vt autem omninò reddatis, illud cum primis facit, ſi ſcilicet unuſquiſque veſtrum anteeat exemplo. fuit quidem aliquando unius ſapientis vox: ſed fuit ſemper omnium planè mortalium ſententia, homines malle exempla, quàm verba; quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Cui vel ignavo nòn liceat docere vivendi normam? at non niſi egregiè probo licet vivere ad normam, ad quam doceat eſſe vivendum. Itaque ſic in univerſum ſtatuo, pro reſtauranda Populi diſciplina, pro emendandis moribus publicis facere momentum non modò magnum, non modò maximum, ſed etiam omne, diſciplinam veſtram. Clerus popularem diſciplinam conſtituit, Clerus evertit. Clerus pietatem, religionemque ſuſtentat, Clerus affligit, non dicto, ſed facto, non ore, ſed manu, non verbis, ſed rebus. Nempe ſi hic immemor conditionis ſuæ, hoc eſt, immemor illius magnificentiſſimæ appellationis, qua genus electum, gens ſancta, regale Sacerdotium divino teſtimonio perhibetur, legum munimenta proſternit, &, quod omnibus inculcatur, ante omnes ipſe conculcat. quid expectādum ab irreligioſo vulgo? quid à cæteris, quos propria conditio permittit eſſe profanos? Nullum certè habet locum religio, ſi nullum habet in templo. ſi exulat longè extra Sancta ſanctitas: trivia incolet, & theatra? nihil adeò profligat mores,

neque

neque unquam magis de disciplina actum est, quàm cũ scelera commendat authoritas, & habent à peccante ipso patrocinium. Ecquem demum pœniteat improbitatis, si quorum est flagitia persequi, non pudeat eos flagitia sectari? scilicet natura ipsa fert homines in scelera: impellit exemplum: cogit authoritas. scelus autem natura, exemplo, authoritate firmatum, nulla quavis arte, non dico sternitur, sed ne minimum quidem inclinatur. Frustra tunc provocamus ad leges: frustra supplicia comminamur: frustra omnem non solùm lapidem, sed, ut sic dicam, montem omnem movemus; enimvero quivis ducit parvo doctrinam, quam Doctoris mores ducunt minimo; & multum suspecta illa merx est, quam venditor ipse despexit. Ergò licet crediderim, vos optimè, sanctissimèque institutos non adeò multum laborem impensuros, ut ex vestro in leges obsequio obsequium in easdem alienum doceatis; tamen, quia humanum nõ est nunquam aberrare à scopo: quin ex divino oraculo in multis offendimus omnes, decet omnino agere diligentiùs, atque intendere seriò nervos, ut videlicet legum damna consilio, sapientia, ante omnia præclarissimo exemplo vestro, quantum pro virili est, ab integro reparetis. Sed fingite, quod tamen ipsa vix cogitatione fingi potest, nihil ex hac parte satagendum: omnes ad unum in officio esse: nihil antiquius, nihil sanctius habere, quàm leges: eas venerari, osculari; tamẽ istuc ipsum poscit vestram operam haud paulò diligẽtiorem, ne quantum ex una parte proficimus, ex altera tantum alterum deficiamus. Nequitia flumen est; si flumini opponis aggerem: cursum non vetas, sed vertis. vetitum hàc fluere, immittet se aliò multò vehementiùs, & licentiùs erumpet, quà nullo iter obice prohibetur. Negas hanc viam sceleri? bene est. præcludis hos aditus? quid tum? inveniet statim alios, atque in diversam, mi-

nus munitam legibus partem cum vi magna incumbet. propterea istuc etiã summopere videre oportet, an post tot ante trucidatas nova aliqua pestis eruperit, cui ferro, & igni obviam eundum sit. nascuntur enim verò novæ semper cupiditates. nulla fœcundior hydra, quàm vitiũ. resectum ad radices momento renascitur: adolescit de integro: tum alio, & alio vitio multis veluti fibris tenaciùs radicatur. in summa quoad vivimus, oppugnari nequitia potest, expugnari non potest. Quapropter valdè decet, imò prorsus necesse est, invictam perniciẽ invicto labore persequi, nec remittere arcum, intento semper ad novas impressiones hoste. Verùm quid ego pluribus exsuscitem ad optima optimos? quid ultrò, ac per se currentes ampliùs instimulem? Restat ergo illud unum, ut in exitu orationis meę, Sanctæ huic Synodo augurem successum auspicatissimum ex auspicatissimo hoc die, quem non sine Deo sibi sumpsit nostra felicitas. quis enim alter aptior, quis opportunior, quàm iste, quo cœlestis ille spiritus, à Patre emissus, ac filio in conventuum omnium principem, in prima Ecclesiæ capita sese igneus effudit? quocircà sperare licet imaginem ejus beneficii non defuturam nobis, qui primitii illius conventus exemplar sumus. Igitur huc quoque ad nos, Divine spiritus, author bonæ mentis, optimique dator cõsilii, huc quoque ades. Te enim ad hæc nova cœpta venerabundi poscimus, supplices imploramus, Te, inquã, cujus numen semper evidens affuit, bene semper beatèque prospexit Ecclesiæ isti. rediere solennibus ornati cæremoniis magni dies: redeant quoque miracula: redeat ignis ille tuus, qui se penetrat in medullas: quo ipso & illustramur ad veritatem, & ad sanctitatem incẽdimur. exorent indulgentiam hanc in nos tuam Divi, Divæque omnes: sed præ omnibus Tu, Ianuari Beatissime, in cujus cura, & fide præcipuè nos sumus, hanc indulgen-

dulgentiam exora. Tu, qui ſoles ignem avertere, ignē nunc impetra. abjeciſti quondam cruore vindice lethalem flammam, noſtris cervicibus inſtantem, ac devoraturam florem urbium urbem hanc tuam; nunc eodem cruore ſupplici vitalem aliam evoca de Cœlo. compenſa incendium incendio, flamma flammam. Erebus eructaverat illam: Cœlum hanc alteram mittat, & per te mittat, qui Eccleſiæ tuæ vivis etiam extinctus. vigilat enimverò cruor tuus incolumitati tuorum, & à vitro, tanquam à ſpecula, incurſura mala proſpectat: quaſi de Te vivo unum hoc moriens ſervaveris Tibi, unum negaveris ſepulcro, curam noſtri. hanc curam ipſam nunc pius excita: nunc oſtende potiſſimam, cum Proceres Eccleſiæ hujus, cariſſimi Clientes tui, in auguſtam hāc ædem, ante tuas aras, ſub hærede digniſſimo laudum tuarum, unanimi convenere. Tu ergo dignos tanto cōventu ſenſus miniſtra; iniice Tu unicuique eorum eam mentem, ut cætera obliti unum Dei honorem, religionis augmentum, reſtaurationem morum, ſalutem publicam ob oculos, & in oculis habeant. fac demum, ut quæcumque hic geruntur, non probatore modò, ſed authore, ſed Duce etiam Te, Divinæ primùm laudi, tùm utilitati noſtræ gerantur.

Pro ſecunda Synodo Diœceſana anno 1672. ab eodem Eminentiſſimo habita.

ORATIO II.

QUod in natura, quod in arte, hoc in diſciplina, hoc in morum inſtitutione uſuvenire paſſim, & experientia docet, & comprobat ratio, Præſul Em. facit quippe ſementem agricola, an illico poſt iactum matura ſeges? imò verò diu latent defoſſa terris inoccata ſemina, tum erumpunt; ſed herbeſcunt primò: mox ſe paulatim attollunt, induuntque in calamum: multò poſt prolixa hyemis, atque æſtus opera ad maturitatem producuntur. ſic poſt longa dierum ſpatia: poſt alios atque alios naturæ allaborantis progreſſus eſt tādem meſſis in ſpica. Quid? domus una aliqua quot molitionibus, & machinamentis, qua materiæ, & operarum præparatione, quanto negotio, ſumptuque fabrorum tandem eſt domus? profectò divinum eſt, res etſi maximas, etſi maximè operoſas horæ momento moliri: nos contra homunculi ex argilla, & luto facti, vel in minimis ægrè incipimus, tardè progredimur, nihil abſolvimus, ut penè totus artis humanæ cenſus, ac ſumma purum putumque rudimentum eſſe videatur. quam ob rem, optimi PP. neminem, credo, veſtrum mirari: quòd in Senatum hunc longè auguſtiſſimum non multum poſt tempus, quod eo abfuiſtis, ſtudioſè revocamini. nempe opus inter manus eſt oppidò ingens, difficile, laborioſum: inculpatæ nimirum vitæ forma, exemplum ſanctiſſimæ diſciplinæ. an verò putatis vos, tam impeditam, tam implexam, tot am-

ambagibus involutam rem uno, alterove conventu vestro posse expediri? haud equidem opinor; cum enim deliberare oporteat in concursu, & varietate prope infinita temporum, locorum, causarum, eventuum, rerum omnium; nemo minus, quàm amentissimus sumit sibi, totius rei magnitudinem, ac tanti velut corporis vastitatem uno oculi contuitu dispicere, mentis una ratiocinatione complecti. hinc prudens illud, scitumque consiliũ referendi sępè manum ad eandem tabulam: ut jam hanc, jam illam partem accurando, concinnandoque, si omni vitio carere pictura non poterit, at certè (quod est humanis in rebus summum, atque optimum) quàm minimis urgeatur. itaque huc spectat in primis à Majoribus instituta sapienter, ab iisdem servata diligenter, congruenter ad nos transmissa frequentia Comitiorum; etenim inter hæc instaurata crebriùs, quæ simul omnia provideri non possunt, particulatim, & quasi per capita sectivo quodam opere digeruntur, ministrante interim, ut fit, commodum experientia consilium. eò igitur, PP. secundò convenistis: ut, quæ superioribus comitiis in tanta messe vitiorum mala se remedio subduxere, præsentibus hisce, repetita diligẽtiùs opera, corrigantur. legimus nec paucas sanè, nec vulgares respublicas optimè à principio constitutas miserabiliter corruisse; quibus ut alia multa, illud tamen ante omnia interitum creavit, quod perinde ac si curam omnem primi legumlatores exhausissent, malis novè insurgentibus à nemine, ut par erat, novis obviam remediis itum est. scilicet viderint priores nostri multa, multis bene consuluerint: iisdem nec omnia videndi, nec satis omnibus consulendi potestas fuit. enimuero docemur plurima tempore: plurima, quæ non offert ratio, casus obtrudit.

Atque hæc si vera: censentur certè verissima, ubi rẽp. instituimus præstantissimam, perfectissimam, sanctissimam

mam, Christianam volui dicere,& in hac ipsa eam præserrim partem, quæ dubio procul prima, ac præcipua est, hoc est partem inauguratam, assignatam Deo, templis, arisque dicatam. in hoc hominum genere, intra quod omnes nos sumus, paruus nævus insignis nota ducitur,& plaga luculenta vulnusculum. Neque verò ista ipsa est prorsus iniqua, aut nimis exaggerans æstimatio; nam qui dignitate multò antecellunt cæteris hominibus, hominibus autem? imò verò Angelis ipsis: jurè jubentur hominem exuere, ac præstare ipsos se, tanquam, si fas est dicere, mortales Deos. ergò nihil humani conceditur ipsis præter appellationem; Divinitatem cæterò totam imbibant, necesse est. Deo, cujus sunt in intimis, sic se imprimant, & prope dixerim, infigant, ut ab eo nulla voluptatis esca, nullo alio mortalis illecebræ tentamento avellantur. ad summam hoc sibi initiatus quivis suadeat, quæ virtus profano cuipiam abùnde est, eam sibi esse minùs, quàm parum: erubescendum ipsi, in quo satis alii laudantur: quod aliis summum, ipsi principium esse. Verbum illud vetustissimum, in quo planè magna vis semper fuit, atque sententia, Ut se quisque noscat, neminem præsentiùs, quàm hominem à sacris monet. is quidem certè, modò se perspiciat, ac totum se tentet, facilè senserit ex ipso muneris sui statu, dedecere, non dicam, improbum esse, sed esse mediocriter probum. Quid? quod idem ipse consueto rerum præcelsarum fato in ore omnium, atque fama versatur. habet actuum suorum testem, eundemque judicem populum, qui more suo, hoc est, iniquissimo, sibi cujuscunque, nullius aliis delicti gratiam facit: malus æquè, & malignus, persequens vitia, quæ sequitur, carpensque eadem, ut exprobret, non ut emendet. Quæ cum ita sint, quàm constans vigilantia opus est vobis, quorum tantoperè interest Ecclesiasticæ rei dignitas, ut quà consilio, quà, studio quà

etiam

etiam exemplo vestro caveatis, ne homines cum magna excellentia, præstantiaque reliquorum extracti ex populo populariter vivant: sive ne facti hæredes ex asse divinitatis, datique in sortem locupletissimam, indigna negligentia sui abiiciant se inter mancipia impurissima vitiorum. ista vos in præsens solicitudo vexet: huc omnem animum advertite; quippe hujus rei præ aliis prudentissimo consilio in unum coacti estis. Quod si primore aspectu nihil nunc se indicat emendandum: imò nec reapse fortassis est; tamen ne istius quidem malaciæ securos vos esse, jubeo. Timendum (videte, quid dicam) sæpè magis est à victis, quam à victoribus vitiis. Quæ vincunt vitia, palam illa sunt: ostendunt per se ipsa vultum, quem nemo non horreat: cujus neminem non pigeat. sed, quæ vincuntur, subdolè agunt. simulant desperata causa loco cedere, longissimè abire; sed latent interea post virtutes: donec occasione veniente recurrunt audaciùs, impugnant vehementiùs, certiùs expugnant; atque adeò, quæ triumphata jam fuerant, mutatis partibus de repentè triumphant. Adde illud, quod si nullus timor esset à vitio: at verò est ingens ab eadem ipsa virtute. nimirum ut ista profecerit in summam, & usque ad fastigium evaserit: tamen nisi diligentissimè sustineatur, pessum abit plus plusque in dies: & veluti vinum, aut pictura vetustate ipsa sua fugit.

Sed ista quorsum ego in præsentia? an de voluntate, de constantia, de solicitudine vestra dubio mihi esse licet? atqui ne somnianti quidem. Tantùm sors mea me, & istuc qualecunque officii, quod jussus facio, cogit, apud homines plus satis conscios pauca ista in tempore orare. Cæterum novi, quàm optimè vos ad communem omnium, & propriam hujus ordinis incolumitatem animati estis de vestro. hæret sanè, hærebitque semper infi-

xus

xus animo, qui proximè antecessit superior conventus vester: nec solùm lætus, sed etiam triumphans recolo illos dies, illa acta sanctissimi senatus. Quantus enimverò hinc Ecclesiæ isti per se clarissimæ splendor accessit: ut, quæ anteà reliquas ex facili superabat, nunc, quod unum nec ita facilè relinquebatur, se ipsam superet? quæ ex illo reverentia legum, temperantia morum, vestri nitor ordinis, templorum decus, majestas religionis? tantum incrementum si tunc dedit rebus nostris, vitio conditionis humanę ruentis semper in pejus fortasse plus justo afflictis, unus ille, idemque primus labor: quantum per vestram fidem, recipimus, daturum istum alterum iisdem rebus jam florentibus, jam adultis, jam, si superis placet, summis? Macti ergò animi estote, authores tantarum laudum, PP. præstantissimi, vos, vos, inquam, Ecclesiæ præclarissimæ & majora, & minora lumina, sub lumine ter omnium maximo, Præsule meritissimo, qui tam liberaliter, copioseque Neapolitano huic Cælo lucet in præsens, ut, qua totum terrarum orbem illustraturus est olim, lucis rudimentum ponere videatur. Quãquam, (sine enim, Eminentissime, in isto orationis exitu paucis ego reverentissimus Eminentiam tuam alloquar) ipsum hoc lucis tuæ rudimentum plenus meridies est. Nam quid in tanta rerum tuarum copia, in tam frequenti, carissimoque consessu tuorum, in hoc ipso loco, in quo vel isti muti parietes, tam novè, tam venustè, tam magnificè à te regalem in morem, ac modum exornati, & à sordibus, in quibus tot sæcula jacuere, ad speciem hanc augustissimam non æquiparabili munificentia extracti loquuntur, ipse iniquus ita, ut ingratus adeò religiosè taceo de te? saltem liceat mihi, quam partem laudum tuarum hactenus consultò præterii, gratificans silentium istuc modestiæ tuæ, compensare partem hanc ipsam professione beneficiorum, reddens istuc quantu-

lum-

lumcunque obsequium gratitudini nostræ. Anne putas immemores nos eorũ, quę tibi omni jure debemus? abest, & longissimè, à nobis tanta oblivio, ne dicam, insania. profectò beneficia quamplurima apud imbecillos, apud tenues, sed nullum apud ignavos, apud immemores posuisti. Vis, numerem singula? equidem sic facerem: singula numerarem; nisi ea narratio tibi gratuitò benefacienti molesta, mihi gratè commemoranti infinita, tempori rebus aliis destinato incommoda videretur; præterquamquod eadem supervacanea foret in tanta luce, ac fama factorum tuorum. Ut maximè velis, non latent, quæ tam altus, & à tam alto loco facis: conditionemque eminentię tuæ licet invitus ad ipsa quoque facta transfundis. Pates undecunque gloriosissimus: pates omnibus, fortasse non tibi, qui nihil in te magnum maximus deprehendis. at sine controversia sic pates nobis, qui egregia facinora tua non suspicimus modò, sed etiam amamus. Truncus certè est, ac planè stipes, qui non miratur in te raram admodum in viro Principe cõjunctionem magnitudinis, & comitatis, quarum utralibet tãta per se est, ut nihil ne ipsa quidẽ ambitio sublimius, nihil temperantius ne ipsa quidem moderatio desideret. Ergò, quàm facilè supplicatum venientes admittimur? quanta est infimo cuivis copia alloquendi te perinde, ut patrem? scilicet reveremur fastigium tuũ, non horremus: accedimus venerabundi, non territi, discentes ex ipso facto tuo, plurimum interesse inter majestatem, & supercilium, inter magnitudinem, & tumorẽ, inter felicitatem, & fastum. Utinam hoc ipsum discerent ex te illi, ad quos subiectorum aditus vel nulli, vel rarissimi: quique bonam partem majestatis ducunt, carere commercio, affectantes tanquam sacræ cæremoniæ venerationem à tenebris, & recessu Te contra frequenter ipsi aspicimus, salutamus, sæpissimè tu in luce, atque ocu-

oculis omnium, præsertim, quod carissimum est, in hoc ipso templo, regia tua, ad cujus aras assiduè, supra quàm quivis Decessor tuus, populo teste, ac veneratore sacrificas. Verùm hæc suavissimi ingenii lenitas non est regiminis lentitudo, aut laxitas fori. humanissimus quidem es in homines, sed in hominum vitia es acerrimus. hinc leges tuæ vigilant ubique, &, quod caput est, apud omnes sonant unam vocem, cum omnibus una lingua loquuntur. Non excusat in judicio tuo crimina facies: non facit innocentem favor. liberrimus ipse sive jus dicis, sive jus servas, altiùs respiciens, quàm priuata tempora, privatas utilitates. Sed, quàm vellent carissimi tui, ut, quam æquitatem erga alios abunde, erga te ipsum mediocriter exercetes: ut, dum aliis consulis, tibi etiam, & valetudini consuleres tuæ. Veniebas ad sedem istam recens à laboribus egregiè tot annos universæ Ecclesiæ impensis. num remisisti tantisper animum? num accisam valetudinem otiatus aliquantulum recreasti? imò autem cepisti illico novam hanc, atque adeò laboriosam provinciam perinde, quasi nullas vires, nullam ætatem inter negotia consumpsisses. Quare statim ab adventu, curis veriùs, quàm dignitate susceptis, fatigas te, vexas te, necessitatibus, temporibusque tuorum impendis totum te, & nunquam deficiens, nusquam delassatus in ipso penè labore reficeris. Inter tamen infinita, quæ facis gloriosissimè, illud certè non modò commendat, sed etiam consecrat famam tuam, dignissimum sanè, quod de te, quod à me, quod in isto, quod in totius orbis consessu dicatur. Presensisti jam, opinor, quò tendit admiratio mea, præconium tuum. uidelicet ardorem illum, illud inextinguibile studium loquor, quo malè fœderatas intemperantium nuptiarum tedas custos, vindexque pudicitiæ restinguis. Invenisti Sponsam tuam per iniquos concubitus undique conspurcatam: doluisti: misera-

ratus es: præsens remedium cogitasti. Mittis illicò quoquo versus Angelos tuos viros optimos odoratum fœdã colluviem: jubes nunciare, quam repererint. reperiunt; nunciant non sine lacrymis latè debacchari. tu multa in rem tecum deliberas: multa decernis. eant, perdant perditam nequitiam: liberent sacro igne oves tuas. itur: obsidetur vallata fortissimè vetustate sua consuetudo. bellum geritur difficillimum, asperum, plenum alea. pugnatur tamen acerrimè, & gratificantibus desiderio tuo superis, per brevi tempore, quod supra fidem est, inveterata, valentissimèque radicata libido mille circiter hominum vincitur, triumphatur. Quid ipse interea? quantus ad hęc triumphus tuus? quàm profusa lætitia? nam unam tu lætitiam de tanto successu tibi arrogas: laudem operis, cæteraquè omnia Deo tam numerosę, arduæque victorię authori ultimo syncerè resignas. Tùm, ne qua ex parte eadem victoria vitium faciat, non ignarus, quàm citò nebulones isti redeant ad ingenium suum, expergefactos ab insanis amoribus ducis statim ad honestum inter se coniugium, atque hos ipsos non sine magnis tuis sumptibus, lætus in primis, quod res tua novo honestissimæ liberalitatis jure facta est stipendiaria pudicitiæ. Dies me maturiùs, quam oratio; & oratio me, quàm tua facta deficerent, exclusus tamen tempore sermonem abrumpo, agens, habensque immortales gratias Deo O.M. qui nos secundùm avidissima vota nostra subiici tibi: te pro præstantissimo merito tuo moderari nobis voluit. Deus idem faxit imperio suo, faxint suis precibus Divi omnes tantum bonum firmum, ac proprium: ut florentissima ista, qua hodieque fruimur, ad longissimũ tempus, te regnante, felicitas perseveret.

Pro

Pro ſtudiorum Inſtauratione in Collegio Neapolitano Soc. Ieſu.

ORATIO III.

ATernè, an albus dies iſte recurrat diſciplinis? ſatin' ſalvæ, an conclamatæ jam ſint artes ingenuæ? gratulari ne liceat, nobis literas, nos literis reſtitutos, an dolere: quoniam intra annos non ita paucos tam altè rem literariam aliquorum afflixit inertia, ut per eam nunquam Oratoribus liceat eſſe feriatis: quot minimum annis hoc ipſo certo die neceſſe ſit provocare ad forum, expoſtulare cum optimis, & ſapientiæ cauſam toties peroratam in judiciariam aleam committere de integro? equidem ignoraverim. quanquam autem recidiſſe tempus videtur, quo nihil non bonum, fortunatumque literis inaugurandum foret; quid enim felicius, quàm porticus paulò ante ſolas, ſilenteſque frequentiæ reddi: turmatim itari ad gymnaſia: oppleri ludos: fluere, ac refluere Auditorum undam: quaſi nemo unus adoleſcens ex ingenuis abeat incenſus, quive nolit, ſe legitimè literis authorari? tamen de tanta ſpe propterea decidimus: quia conſtat veteri periculo, iſtum ipsũ addiſcendi ardorem, ut fit ad rapida conſilia, facilè diſcuti, & vix recidere ad pauciſſimos, qui fidem ſanctè datam diſciplinis liberēt integrè. hinc bonis viris morſus acerrimus eſt à deſiderio temporum illorum, quibus ingenuæ artes perhonorificè haberentur: dolentquè, penè nullam affulgere ſpem, fore, ut eædem reviviſcant velut firmis illis annis, qui nondum in fragilem hanc, inertioremque ætatem noſtram inclinaverant. Et iſta quidem querela vetus: illa recens, & nata ſub

manu

manu; quia nunquam aliàs perinde, ut ego hodie, studiorum causam oraturus accessit. etenim ante hac magnæ nequitiæ majores additi censores: undè non afflarentur scintillulæ, ac tela sine ictu jacerentur, velut ipse nunc facio; sed justi oratores solidas lateribus subderent faces, ensemque capulo tenus agerent in viscera. at illi certè utinam, quo modo sibi materiem, & ornamenta exhausere omnia dicendi, ita nullum mihi locũ integrum reliquissent fodiendi etiam nunc, quos excutere oporteat, ut levent nobilissimam urbem ingenti probro, ac malo. etenim dicitur apud exteras nationes, si cui adolescentium Neapolitanorum patrimonium est laxius, locus equestris, indulgentior facies, annus fortis, ac florens, iste ab literis cavere tanquam ab laqueo, & carnifice: quæ quidem quemadmodum præstat credere, secus livideque dici: item nunc videtur esse illud, quod Non semper aberrant, qui sæpè jaculantur. quam ob rem summissus hodie in hanc prouinciam, accurabo stren uè pensum meum, ut abluã, si qua clarissimæ urbis minùs commoda tenet fama. contendam profectò, ubi posc at res, punctim cæsimquè. ibit dies iste decretorius: ut capita levissima vel demum incipiant sapere, vel cessent impunè desipere. Verùm enim verò ne hinc illò desilire videar: eam mihi destino dicendi legem, cotidianam & verò illam, neglectamquè, ut indagem nativam ipsam venam tantæ contagionis per adolescentium nostrorum ingenia serpentis: atque simul indicem, quidquid momentum est contra eam. fortasse succedet feliciùs, quàm ipse licet avidissimus ad bonum eventum optaverim. fortasse vividus ille, qui verus erat color civitatis hujus nitebit per me redinteger: ne sit opus ad nostrum nomen, ac decus repetere superiorem ætatem, qua Neapolis una beneficio sapiẽtiæ innumerabiles viros famæ, fastisquè inserebat.

Quæ ubi aggredior ad præstandum, præoccupant ecce tibi suadere causas inscitiæ suæ de junioribus illi, quos ignavia æquè, atque audacia transversos agit odorati callidè, unis ipsis me cunctam hanc litem intendere. quo n. fine, aut quo fructu cadentes stimulem annos: ut senex elementarius exsibilandum se præbeat naris emunctæ pueris? ita constituãnt senes, quam esse velint causam suam. etiam constituant pueri, quibuscũ certare indecorum mihi foret. & istos præsentius, quàm oratio, scutica: faciliùs, quam orator, virgator impellat. puerilium enim annorum magister unicus timor. toto igitur criminationis meæ corpore provoco juventutem. tamen ante omnia videro, ne quis putet, communẽ, vobis ipsam hanc esse causam, Adolescentes optimi: tum qui, pignora domesticæ laudis, nostri generis lumina, intra hos parietes tanquam intra cœlum sidera convivitis: tum qui uno nobis alieni tecto, cæterùm caritate summi intimique, gymnasium istuc amplissimum celebratis. imò, superis gratia, vix capio memet, triumpho: quoniam, quòcunque oculi incidunt, intueor alacres vos adesse mihi punctis omnibus, atque exposcere, ut juvenes perditos tanquam aureę vestræ ætatis recrementum meo igne nunc incoquam. hoc oppidò quàm libens facio: in hoc laboro; nec illis pax usque eò erit: dum præclara exempla conferentes, ingrediantur tandem vestigia vestra. vos ergò cõtra vestros æquales mihi arma suppeditamini. orationem vos ipsi meam etiam nunc facitis exultantem, ac præcinentem triumphum. erit gratia vestra: si homines ignaviæ coaliti, tamen virtutis masculæ exemplo excussi, ad optimas disciplinas ex animi sententia promiserint: qui modò ægerrimè ferebant, litem istam neque dum rectè compositam, anniversariam recurrere. Siccine, inquiunt, ad bonam frugem evasere secula,

ut

ut unicum sit crimen inscitia: unica adversus inscitiam concertatio? sapientia enim verò sectatores aut noluit, aut neglexit:quoniam ad inaccessa se penetravit. si amatores amasset: semet parabilem fecisset. nunc autem quò pararet eam, alius exculpsit oculos: opes dilapidavit alius: multi exulavere: & ultro nominantur, qui animam sudore dilutam liquidò profuderint. hem pudeat, advocari nos impiè bullatis nugis ad literarias palæstras, hoc est, ad bellissimorum dierum trucem carnificinam. juventa flos ætatum, amor annorum, nō fit ad curas: illi natura sinu passo indulsit:illi fecit otia, & risum. nos naturam emendabimus? jubent homines inhumani nasci senes à pueris, etiam spiritu interdici, illa videlicet gratia: quòd, unis, ajunt,literatis trabeas, magistratus veluti ex hæreditate obvenire: omnia ferre puncta literatos: quæ quidem, ut volunt, magna sint: sint admirabilia; eorum expectatio nihil idcirco lactat, quos peritura non movent. finge, movere. cur sequamur dignitates, quas atramentum scriptorium edat in lucem? ad quas cuilibet de plebe pateat accessio? Nominis præterea æternitas, sapientem ab interitu consecutura, frigidus est fomes. Vixit Diogenes. cadaveri quid tum? alat cadaver feras. cur ita? profectò quia illud in malis bonum est, ut majora minorum sensum obtundant. luce cares, & laudem curas? si maximum negas: minimum tibi habe. At ignorantia mala merx. rectè pessima; tamen inter mortales nemo est unus omnium, qui teneat ungues ab ista scabie: qui hanc sarcinam decusserit ex humeris. etenim dictum unum est de dictis sapientioribus doctissimorum virorum: Vix ultimis annis illud se didicisse, quod nesciunt.ergò tātæ circa nos turbæ, ut demum nescire discamus? si meta in carceribus est: si post seculi cursum eò accedere licet: undè jubent discedere; cujus dementiæ est, exi-

gere nos in viam, in qua per quàm laboriosè exhausta proficias nihilum profecisse? itaque ea est purgationum; causarumque summa: à juventute procul haberi literas; quod hæ steriles æquè maximè, ut maximè laboriosæ ludunt spes, & ætatis vegetæ succum, sanguinemquè exhauriunt. Scilicet. ista ipsa est summa causarum : omnino propterea literas procul habet juventus. næ ipsi veriores causas, ut quarum maximè pudet, omisere. sed ego illas contra statim cantabo, simul ut diluerim, quas iniqui nugatorias modò, verum infucando, jactarunt. Enim verò non queo ampliùs durare, quin stomachum erumpam implacabilis contra quisquilias, ac magna magnæ urbis probra. nec verò confusè illos permixtèquè, sed particulatim, ac discretè excutiam : ut pede pes, manu manus, vir hærere viro videatur. quanquam illud affatim doleo, quòd vix mihi pares stimuli sint, quibus referiam pro loco palmarem hominum socordiam. profectò dum vulnera forent recentia à sãguine, curationem non ita difficilem paterentur. nunc autem dedecori occalluere usque adeo, ut sint ex audacissimis, qui perfricant frontem, & rident notas suas. quippe natura fit, ut in oculis habeamus vitia, quæ sẽper ob oculos. nihil est tam multùm indecenter contortum, quod per ipsam consuetudinem, & continuam veluti attrectationem oculorum pravitatis non decoquatur quinta parte. qui primus in principe sidere maculas introspexit, narraturum se credidit, supra quàm fingi poterat, in honestum quidpiam, indignumquè planeta, cui tam amplus in lumine census. tũ verò usus venit ex usu, quò vitium istud lucis lux esse, dicatur. superioribus ante annis nemo sine verecundiæ morsu usurpabat illa: *Valeant literæ; res suas sibi habeant: reddant meas*. nunc ea nihil secessione frequentius.

quid

quid enim ita pessimum. quod ipsum si non sit bonum: at videri tamen aliqua ex parte non possit? sed ut ut ista casura sunt, ego contentioni meæ me restituo. Principiò homines strenui laborem causati sunt. quem? sed qualiscunque ille sit, ajunt, se non esse penitùs tolerando. O delicatulos,ò quos acus punctiuncula exanimat. citò jaceant in rosa. quæso, nè asserint: ne lædat æstus tenellulam cutem. proh Sancte Deus! istane crescit in patriæ laudem, ac præsidium juventus? isti magnorum patrum filii paternum dabunt? heu moris corruptelam intolerandam! ergò falsus animi sum, qui mecum exegeram, nullo alio usurum igniculo præsentiore ad incendendum nobiles animos, præterquam si memorassem, sapientiam stare permulto: non esse rem transigendam cum infimis: demum heroes quærere. afflaturum meæ causæ, non incommodaturum, sperabam: si digito signassem semitam, soli malitia asperam, obsitam sentibus, confragosam, prætereà editissimam, quã vix pandatus manibus, pedibusque carpas. quid enim cadat optabilius viro, quam vicinia periculi, arduitas facinoris, operis magna contentio: ut videat incedere se, quà vulgus non eat: quò non pertingant inertes: quod improbi perhorrescant? an verò velitis, jubeamus, gregem à Sapientia duci ignavorum, quos pessum dederit malum otium: & ipsam animam alea, talusve oppigneraverit? non sic jacent pretia bonarum artium, ut ipsę se ultro largiantur. digrederer à proposito maximè, ad omnia transcursurus, quæ, quia ante pedes sunt, nihili sunt. Vos dumtaxat lurcones pessimos, vos ipsos insaturabili abdomini natos nunc interrogo: an ullæ vobis lautæ dapes, quibus & sudor, & sumptus ingens pretio non sit? enimvero, ut fluxum seculum habet, fastiditur, quæ domi, quæ de facili cœna nascitur: delicium una conquisitissimum, quæ navigavit. jam ip-

ſa divitum convivia ſurſum deorſum commeant inter merces. jam nativas delicias poſſeſſio prompta, & nihil admodum negotioſa cõquiſitio libidini exemit. gregem coquorum vides, inſudare ad ignem, fremere: quaſi ſi non eò, quò compeſcerent unius ventris, ſed multis urbibus tumultus inferrent. quis crederet, gulã quoque agi ambitus, quæ transmarinis ſe obſoniis ingurgitat: non quòd illis veſci delectabilius: ſed quia veſci carioribus nobilius eſt? qua de re coguntur ſæpè generoſi helvones, guſtatu etiam invito plaudere: cum nauſeant; & judicium epularum non à coquo, ſed ab emptore præſtolari: ut non æſtimetur, quàm bellè cõditum fuerit obſonium, ſed quàm caro emptum. uſque adeo dapes olim commendabat ſapor: nunc ſumptus; & ille delicatiſſimus non eſt, qui optimè palato ſapit: ſed qui maximè patrimonium ſumit. Ergò erit gulæ, quàm ingenii, ventris, quàm mentis cultura operoſior? epulas, veſtra intererit: non intererit, vos ſapere? ſed vos deſipite, ut lubet. equidem quos labores contra literas objeciſtis, non nego: non imminuo: augeo multùm etiã de induſtria. ictum, ne credite, me exire, quem excipio pectore apertiſſimo. prӕterea gratias ago; quòd ea obiiciendo, cumulatè mecum literas exornetis. Quid ſi exoculavit ſe Democritus? Crates magnam vim auri, argentique mari ſubmiſit? ſolum Pythagoras, aliiquè multi vertere? innumerabiles, aut effracta circa pectus vena, ſanguinem aſſilientem cum anima expuerunt, aut alia quavis gemina peſte mactati ſapientiҫ, miſerã mortem occubuerunt? quid tum? an vos iſta non jugulant? vos, capita vobis non negantibus ineptiſſima, conſputaveritis, quæ viri nulla non clariſſimi memoria, labore etiam, uſque ad necem tolerato ſibi paravere? Hem ipſe vecors cum helvonibus ſpurciſſimis certo. quos indignor, non ſequutos eſſe ſapientiam? abiicerem, ſi ſe-

que-

querentur. quid impoliti musas politiores infament ? quid bonas artes dedecorent pessimi ? nequaquam erit ita. imò cedite hinc aliquando, atque abite. amatores, quales vos, & noluit sapientia, & neglexit. etiam cavere: amicè facio; quia res est scire difficillima, negotium inenodabile, aleæ plenum. Cleanthis lumini non oleum, cruorem instillant sapientes. chartis impallescimus: colimus quotquot musas: perimus jejunitate, atque insomnia: vix ossa, & pellis sumus. ite, concedite viles animæ athenæis nostris, rationes vestras cum ganeis, lustrisque habituri: quandoquidem nihil unquam planè magnum sapere consuevistis. Sed illico retexenda mihi apud vos oratio est, lectissimi juvenes: & revolvenda fila sunt ad caput suũ. contra manifestos turpissimæ socordię ista loqui decuit, eosq; veluti fumo apiculas laboris recordatione propellere. nunc verò revoco me, ut dicam ex animi mei sententia, & Cereris arcano profanis illis indicto vos communicem. ergò macti animis, & ingenio estote. in promptu, atq; proclivi omnia sunt. incessus expeditissimus in acclini via, quam dormiens tutissimò ambules. gloriæ certa spes, liquidissimus fructus. at ego penes doctos, etiam expertos ista loquor, qui testimonium dare de Sapientia possunt: tetricane ista sit, an clemens? invenusta, an suavis? aspera, an lepore condita multo. Sed insedit, & altè actus error iste in vulgum: ut putent, fila Sapientis eadẽ esse, quæ malè tornati hominis, pleni rure, & nullius urbanitatis. meras nugas. quid? rusticani ne, incultiq; Epaminondas, Philippus vel Alexandri, vel Magni pater, præterea ipse magnus, quos musarum consultissimos prædicamus? quid? an Julius Cæsar parum urbanus? is mactè disciplinis omnibus eruditus inter ipsas civilium, & militarium rerum jactationes plurima per quàm scitè exaravit. quid? an proximus à Iulio Octavianus

vianus munditiarum ignorans, eductus tam eleganter in sinu musarum, ut cuidam legato consulari tanquam indocto summiserit: quòd ejus manu scriptum animadverterat ixi, pro ipsi? quid demum? Alfonsus ille magnus, cujus vox fuit: Malle se omnium regnorum jacturam facere, quàm minimam doctrinæ? quive Regi tum hispano contendenti, Non convenire Principi literas, rescripsit, Bovis, non hominis eam vocem esse; is pannosusne aliquis, an princeps? in hara, an in aula versabatur: cum nulla dies illi intercideret, qua latinis scriptoribus lectitandis non fuerit inversatus? ut omittam Isabellam Ferdinandi conjugem, quæ præterquamquod regni, torique consors foret: præterea quantum quantum à curarum mole vacaret, contulit ad literas humaniores: & profectu sanè tam firmo, ut, cum interesset Divinis, peccantes in syllaba sacrificos interdum ipsa revocaret. propterea tamen mulier esse non desiit. neque enim necesse est, quempiam ex operaturis sapientiæ rigere, sylvescere, obnubi sordibus, ac tetricitate; quanquam ex Aristonis instituto mallē ego tristem adolescentem quàm hilarem, infensum quàm amabilem turbæ. benè tandem decoquetur vetustate ista tetricitas. vinum, quod mustum plus nimio obdulcescit, non patitur diuturnè; bonum illud fit, quod primò peracerbum gustatu fuit, atque asperum. intempestiva enim, & prærepta horæ suæ maturitas semper formidolosa. Ut verò corporis habitus, orisque membrana concedat in mœrorem: animi tamen, ad quem sapientia affluit, multò alius est color. ille remotus à scena, & foro, suæ certus laudis, vel intra se omnia aspicit: vel despicit omnia infra se. cum cætera sapienti desint: tamen satis est atque abundè; quoniam ipse dives de suo superest sibi. hoc magnus ille Crates spectabat: vel cum aurum sub mari mersit, ne mens sub auro merge-

mergeretur: vel cum pecuniæ bonam vim depoſuit apud menſarium ea lege, qua ſi liberi philoſophicis ritè ſacris initiarentur, depoſitum mendiculis largiretur; redderet liberis fide bona: ſi profani ab adytis philoſophiæ arcerentur. nempe haud erat neſcius ſapientiſſimus vir, nulli ſapientiam obvenire indotatam; & ex altera parte, qui ſtipatus bonis artibus aurum exaggerat, facere perindè, ut qui onuſtus auro ſibi plumbum mendicat. atque mihi ita vacaret, ad ignavorum invidentiam, ſapientiæ patrimonium ampliſſimum cenſere membratim. tamen quemadmodum locus non eſt, ita nec præſtat; quòd iſta probi ſciunt: improbi non intelligunt. Sed quid ego inquam improbos adverſarios meos, qui ſenſum rerum humanarum de improviſo deperdiderunt: faſtidioſi Magiſtratuum ambitus caſtra generoſi transfugæ reliquerunt? quàm habet & ratam, & gratam honorum non curantiam iſtam reſpublica! etiã per me gratias agit ampliſſimas; quoniam faciunt tam amanter in patriam, cui privati homines oneri: cũ poteſtate timori ſunt. & verò qui veniret uſus indignior, quàm ſi civium honeſtorum decora ad ignaviſſimos deferrentur? ſed quid eſt, cur conturbati mihi eſſe videntur? etiam putatote, adoleſcentes ingenuos verecundari apud laudatorem ſuum. ingenuos verecundari ſcilicet. non eſt ita. ſcio, quid urit. dolent, tam citò nos iſta ipſis credidiſſe. equidem jam tum à principio novi ludum: & mihi ſtatim videbatur iſtorum nova virtus nova fraus. næ illis ſimulatoribus ad omnem fucum, & fallaciam compoſita verba ſunt. ſic habent in præſentia. ſic depingunt vitam ſuam, videlicet incurioſam, negligentem culmina, ab ſpe quoque alienam. ſimul verò atque ab adoleſcentia, & patrimonio turpiſſimè devotato evaſere: tum demum pro ſe quiſque afferre manus, adrepere primò clanculum; multa per precem,

:em, multa per fraudem quærere. indè modestos, ac
'upplices ascendere paulatim in honorē: tumere statim:
ore denique tam expedito majores magistratus sibi petere,
quàm qui sanctissimus. adeo nihil non audere est:
ubi ambitio impellit, inopia præcipitat. At verò quā
miseret me vestrum; quoniam haud ita intelligitis: quāta
vobis hac tempestate calamitas sit supra caput. jam à
multo tempore deprehensæ sunt fraudes vestræ, interclusæ
spes, consilia sublata. est, est præstantissimæ urbis
felicitas, quę turpia ausa infringat, isto maximè tēpore,
quo nihil tanti est, quanti pietas, quanti religio.
apertissimè regnāt fas & jura: atque ita regnant, ut planè
vobis denuntient, in vestra vos inopia perituros. ergò
quòd neminem ullum de isto inertium, indoctorūq;
globo videmus, qui togatus bellum cum popularibus
gerat, & cum hostibus sagulatus agitet pacem: qui judicet
carnifex aut legum, aut civium: qui nundinas
transmittat in curiam, & quæstiones quæstibus mutet;
non ideò accidit: quia, qui tam illiberalia facinora essent
facturi, audacissimi homines nulli sint: sed quia
strenuè pro republica vigilatur: incommodi publico, lōgè
submoventur: pro que his alleguntur boni ab optimo,
à sapientissimo sapientes: qui legibus ita præsint,
ut pręesse meruerint: qui non occupaverint fastigium,
sed acceperint: qui demum palàm faciant; si coguntur
honores, dedecori: si cogunt, hos tandem maximo ornamento
esse. Sed homines à veteri familia tumidi sibi
tantùm vellent, splendere sidera: diem clarescere
unis ipsis. Sapientia quòd uno fasce supremis, infimisq;
nobilitati est, indignantur. scilicet nihil ipsa se respicit:
nullo delectu, ut quisque occurrit, se proiicit ad misertimos,
non quos ornet trabea: sed quos tegat. meritissimò
indè exponi ludibrio, atque despectui honores,
qui sibi sordescunt: ubi sordidis lucent, more solis va-

porum

porum attractione lutosis terris purgamentum, sibi nubem construentis. Mihi verò contra videtur. fundum tuum provinciam, si lubet, æquaturum amplifica. habe in numerato, quantum auri avari somnium fit. gloriator de te in veteri prosapia; adhuc tamen æqua jacet in omnibus portio naturæ: quæ sola nostra est, omniũ nostrum humanitas uniusmodi. quid? quod mentem animi nihilo minus Rege mendiculus expolit: & fortassis iste præ illo; quoniam vix, cum benè est corpori, animo nõ est malè. jã verò illa est complexio mea. ain' literis nobilitari civem, nec ne? si negas: cur sapientiam mendosè reprehendis, ad misertimos, quos arrigat, se proiicere? sin verò ais: quantò eat magis nobilitatum vos ipsos jam olim nobiles, jam olim avorum numerosa laude suffultos? Illud nonne exculpit, ut fateantur suo ipso telo stringi, cruentari? ahborrent ab istiusmodi communione honorum. quin à communione flagitiorum? an est uni nobilitati dicta dos culpa? uni uspiã peccant optimates? nulla ne delicta perveniunt ad vulgus? ergò plebeculæ communicare cum flagitiis possunt: cum virtute non possunt? teneo sanè ingenium varium, & commutabile. cum placet, euripi homines in scirpo nodum; cum item placet, nodum ne in loro quidem gordio deprehendunt. Sed etiam negare ausi sunt (quid enim est, quod pudore semel abluto non audeas?) sed negare, inquam, ausi sunt, famam ad posteros certum vnum funeris solatium esse. stultũ proinde dixerunt, studere laudem, cum de luce actum est. ego istiusmodi cavillationibus, quippe quæ apud cordatos viros ipsæ se interimunt, ne respondebo quidem. & facio id prætereà jure satis bono: cum dubitem, an qui ea effutiunt, homines nec ne sint. si enim etiam: quomodo fieri dicam, ut eadem loquantur seriò, veròque? si non: ad quos ipse respondeo? Igitur restat illud,

quod

quod jam populare, atque plausibile factum est. non fit, inquiunt, nostra culpa: quòd nescimus. cujus jam? nullius certè nostrùm. tamen ista nos luimus, ex quo princeps homo nuper coactus ex luto, ac statim natalē oblitus argillam divina affectavit eo eventu, ut lætandum foret, non induisse Deum: nisi hominem exuisset. semper malè sibi consulit ambitio. ad superiorem avida gradum, de gradu sæpè suo deturbatur. ergò fieri nequaquam potest, ut omnia sciamus. rectè est. attamen quis indè nisi si fatuus infatuatus conficiat: præstat igitur nihil scire? vellem, mihi diceretur, si verbi causa millies nummum sestertium non detur: centies acciperent? nisi capti mente, acciperent. & unius bona sapientiæ si dividua sunt, nulla sunt? unius usque jacebit hæreditas: nisi hæredem facit ex asse? equidem ipse ne per somnium quidem mihi destinavi, fore, ut succrescat quilibet Salomoni. utinam dimidio. dimidio, inquam? etiam minus minima parte, qua olim iste. & quò sperem ab adolescentulo mirabilia, animum vix de facili induco meum. Scio, quàm crebrò fila juvenum intuentes fallunt: quæve de se ipsis pulcra indicia dant, quam sæpè decoquunt bonæ spei progressione ætatis. cautio qua de re est, ne illis confidas nimiùm: aut illis diffidas nimiùm; sunt enim in utramq; partem oris præstigiæ. & ferè nusquam omnis se prodit indoles, latens plerunq; inter annos. aliquando totam intempestivè se dat in scenam: & ita præcurrit ætatem, ut sæpè avolet, deseratquè truncum, quem tibi literatorum apicem finxeras. proinde nihil insto proptereà: quoniam non sunt futuri omnes, qualis Plato, quales cæteri bonarum artium antistites. sed conqueror, aliquos vivere, qualis jam Meletis, qui vix sciret ad quinque numerare: & quales aliquammulti, qui vix nomen exarare possint in tabula. itaque excoli singulos
jubeo

jubeo pro cenſu ſuo: & ut quiſque eſt ingenio tardior, aut promptior, plus minuſue proficere ad ſummam. Non ſum, inquies, qui teneam primas. eris, qui ſecūdas. eris, qui tertias. ſi neque iſtas: attamen haud eris maximus unus ſtipes! ne ſcies multa: at ſcies certè, num vivas: nec item atque ille ſella inſidens ſcitabere, utrum ſedeas. etiam intinctus leviter diſciplinis, apud ſapientiores te ſervabis aliquem ſtatum. licebit hiſcere aliquando apud eoſdem ſine ſibilo. ſæpè enim vidimus, riſimus ſæpè etiam unum aliquem illiuſmodi, à quo diligentisſimè excuſſo ſcrupulum ſalis non exaras, aſſidentem eruditorum hominum coronam, veluti concilium avium corniculam. diſceptatio inibi incidet de apice cujuſpiā diſciplinæ. hìc tum ratiocinari alii aliter, opponere, diluere, omnia docto miſcere disſidio. ipſe unus ne ſcire nebulo, quid ſe faciat: ſtare, prout quiſq; trūcus: jā ad iſtum, jam ad illum ſapienter in loco diſceptantem advertere os pandum: tædere demum; quippe non bonum, ſed boni amor oblectat. & iſte quidem ut in malis non multùm ineptè. quantò ille intolerabilius, qui, ut ipſe quòque videatur aliquis, quandoquè inſpergit quidpiam de ſuo? tùnc maximi riſus. etenim ferè ſemper tam inſulſa egerit, tam inepta, ut indè fieri mereatur narratio, & fabella otioſorum. & dedecus tantum adoleſcens nobilis rectè ferat? negligat? etiam diligat? neſcio quid ampliùs addam. ſi tali facilitate in infamiam adeo inhoneſtam poni cæteris, ſuſdeque patiuntur: cujus ego alterius mali recordatione deterream?

Jam autem quoniam ludos ipſi meam operam faciūt; ego item ipſorum inertiam? planè ita videtur. iſtuc faciam. Heus tandem vos ad ignaviam, & inſcitiam facti, agite jam, omnino pacificari vobiſcum volo. ne timete; excusſit aculeos omnes oratio mea: bilem cōcoxit;

xit: etiam descendet in vestram causam. neque verò defensionem ullam rectè per vos ipsi præstitistis; quippe imperiti omnium nesciebatis, ad patrocinium commodè ingredi. nunc sinite, causas paulò æquiores pro inscientia vestra afferre me, vobis in utrumvis oculum otiosè conquiescentibus. Adeste dum, qui contra estis. quænam demum acerrima ardet adversus istos expostulatio? ecquid est aliud, nisi quod omnino literas nesciūt? nihil profectò. sed quid aliud quæras? ubi dicuntur, agere veluti pecudes? certè agunt pecudes stolidissimas: sed, quod omne fert punctum, non sine bona causa. pendantur singula singillatim: jam animo non tantùm non invito, sed libenti etiam prolixoquè palmarem hominibus stuporem condonabitis; ubi rerum omnium ignorantia arctissima necessitas est. nihil sanè illi minus, quàm improbi: infelices & verò dicendi sunt; quandoquidem non, quemadmodum culpa, item calamitas resilit ab invito. nulli prorsus student; parum est. illud majus: quia non, si vellent, studere possunt. non est horæ otium. jam timeo, ne ista videar aut stultè dicere, aut joco. sed neutrum est ita: percertè nullum est otium. jam quid agunt solidum ipsum diem? istæc res est. itaquè, quod instat, revocemus diem ad calculos, & horarum omnium rationem digitis computemus. Principiò ante lucem: mentior, post multam lucem volui dicere, meridiem circiter (nimirum gloriantur Clientes mei, ipsi quoque de se, in quo alter nescio quis, solem nunquam surgentem, nunquam occidentem vidisse) cum unus, inquam, de istis expergiscitur, inter prima, aut post illa statim cæsariem pectit. rectè sanè nempe aliqua, nec verò nimis esquisita munditiєs haud quaquam dedecet viros. quid tum postea? pectit. ò quàm sapit fractum, & muliebre. deinde? repectit. ita sanè depecteret; quis hic stomachum contineat?

neat ?] verùm finite, quæso vos, ita res, ut sunt, esse quid ipsi faciant? annus, urbanitas, consuetudo non finunt, hominem esse, ita, ut vult. igitur ea est prima summa; dum pectunt, & repectunt: dimidia dies est neque verò, tametsi maximè conentur, intereà festinantiùs. etenim usque dum de capillo unoquoque consulitur: & cotidianus tonsor investigat, siquis pilus ab normis proxima nocte surrexerit: & cinerarius contorquet: & ille alius acu secat æqualiter: & cirratus ipse videt, si speculum annuit: & aliæ id genus apinæ, tricæquè extricantur; non dies modò, etiam annus abiit. an exoptares, amores ac delicium floridæ ætatis rusticos haberi ipsos, incultosquè? imò respublica citiùs turbet, quàm coma. nihil est tanti caput, quanti capitis decor capillus, planè flavescens, sericus, leniter undulatus, cultusquè, aut in modum, quo recidens æqualiter in anulos, eandem quoquo versus altitudinem servat: aut à temporibus directò deorsum frangitur in gradus: aut rursum accisus, quantus est prorsum dejectus, bipertitò pectus ingreditur. Pedes demum sunt pedes: attamen ipsorum non est sanè luteum negotium. quoties mundulorum unus ullus calceat, ut brevissimè, par est horarum. quippe in illa re molesta quamvis prolixaquè acer munditiæ gustatur sapor. Quantum diei mihi excipis pro vestiaria scopula? pro lavationibus? pro odoramentis? quantum pro eo, ne caligulæ quidpiam rugent? ne qua uspiam ligula dissideat impar? ut femoribus assuta feminalia iisdem penè accrescant? ut affigatur thorax in pectusculum, aliaque istiusmodi multa? i nunc, & exinde judica: utrum ista satis mane unum exhauriunt. Perge. proximè à meridie dormitare jubet medicus pransum adolescentem. hoc valetudo est. suprema rursus ad pectinem: quia mox in publico. egreditur indè domo, visum amicos, quibuscum vesperam, & cre-

& crepusculum deambulat. bellè sanè. cum usque à prima face ad concubium : tum verò ab hoc ad mediã noctem, alea, confabulatio. urbanè factum. postremò media nocte adolescens malè lassus, & benè cœnatus cubat in lecto : quo tenore & dies, & menses, & anni convolvuntur. Ad hoc anniversarias adde intercapedines deliciarum: quoties tempore anni præfervido petuntur æstiva, putatore, Mergellina, & quidquid porrò collium jacet. hibernas adde venationes, exercitationes equestres, & multi generis alia, quæ homo voluptarius non prætereat. quid plura? nonne ista superfluunt, ut interrogem: ecquam horam de tanta rerum coactione excerpitis, qua pagellis insudet ille: libros evolvat: celebret lycea: faciat deniquè, quæ seculum deficeret? literis pro dignitate navaturo operam est opus hominem vivere minutum, angustum, horæ pluris, quàm auri præsegmina facientem. ubi ista isti, cui dies centuplex simul natus, statim occideret? Applaudunt enimverò belli homines orationi meæ, ecce applaudunt: gestiũt præ gaudio perinde, atque ipsis per me facta res foret: & vindiciæ secundùm libertatem jam decernantur. Vel quod credidere transfugam me, cum explorator advenerim. O scelera. ego satis sanus vestram insaniam manu tenerem? vos de reis eximerem? ego sperarem, ulla vobis futura æqua: ut literatio quà labori, quà otio subducamini? finerem ego placidus, calamum calamistro, vitro ceram impune mutari? sanè, quia verò mundus muliebris leve masum: emendare oportebat luxum intolerandum virili ampliùs adjecto. utinam ad unum diem Cato reviviscerés: usque dum recantares tuum illud, Navis; & Mulier nunquam satis ornantur. tu quidem nunc haberes, vel quos tertios includeres in illo numero: vel qui præ istis & navim, & mulierem ab illo numero vindicares. nimirum perinde quasi fato

fit ut

ut, qui jam dudum mores descendebant, nunc præcipitent. quippe cavetur faciliùs, ne isti mali sint: quàm, si mali, ne pessimi. una, una igitur defensio restat, insania: unam istam excusamus. sani si mentis forent: quæ mulcta expungeret tantum scelus? aut quæ sat illos oratio cruentaret?

At parentum, inquiunt, ea culpa est. ipsi nos ita insuevere. nunc vitium medullis incoctum abraditur periculosè: vix omnino revellitur. Et ista illa est pugna solennis. ex una parte culpam parentes ad liberos: liberi ex altera transfundunt ad parentes: ego ad utrosq; sed ne alteris perbellè exercitis, omnino alteri abeant impune: pauca ista contra patres per occasionem effundo. Res est egregiè mirabilis, quanta certi homines nequitia liberos expectatissimos suscipiunt: susceptos tantùm non strangulant. nullus à teneris bonarum color artium, nulla mentio disciplinæ: quodquè videtur penè incredibile, non modò præter æquum, & bonum ignaviam à pueris non abstinent: sed aliàs ad istã sumptus impiè suggerunt. ipsi interdum frangunt ab incunabulis animulas illas: ipsi ad mollem, & umbratilem vitam inclinant: ipsi laborem veluti larvam fugiendum simplicibus proponunt. indè sensim indoles illa refractaria: ut vix adulti præter infantiam, flagitent missionem ab scholis: negata, peregrinationes fugamq; minitentur: etiam mussant es interdum promittant ad cœnobium, re vertente turpiter in dedecus longè majus, ut præsidio sint nequitiæ castra virtutis. tamen ne ista deinde conquerentur patres? perinde atque ignorent, simplices annos colorem ducturos, quem velis: etsi semel ductum non abiiciunt, cum velis. quem in loco nõ corrigis, non coërces per tempus: primum alterumve facinus timebit factum; alia, atque alia faciet timen-

da. non patiuntur humanè? renituntur? sit in manu, & minis stimulus. non timetur? urge. filius ita est homo; si digitum indulges: vel manum abripit. ergò si quotidie palpatis, & miseremini aut pluries, aut priùs quã delinquant: si non tantùm non exorati, sed ne orati quidem annuitis; quid est, cur illi non abiiciant morem, quibus, quantum de metu detrahitur, tantundem ministratur audaciæ? quin illos jubete, non dimovere ab oculis oculos: ab nutu pendere: timere cum iratos, tum verò parũ hilares. sic facietis rẽ. sic discitis patrẽ. profectò vobis peccãt, quidquid liberi peccãt. scelus integrũ trãsfertis ad vos; natura enim vestri facti sũt. proinde luxuriãt, otiantur, ineptiunt de vestro. Pro re quapiã familiari, pro uno fundo tot curare, pati, tueri aliquando usque ad mortem. pro filii institutione, videlicet pro eadem familiari, & insuper pro re publica ne manum quidem vertere? qui semel est pater: nullus est pater. qui natura pater est tantummodo, non consiliis: nihilo melior, quàm bellua quævis est pater. Ne mihi causare ingenium intractabile filiorum. nimirum in tenera ætate nihil est firmum. ducuntur facillimè in utramvis partem. adulti erunt, ut vultis: si curatis, esse impuberes, ut debent. cultura indigent; nam cætera per se præstabunt. Ipsæ agrestes sylvæ ferro erudiuntur in poma. trahuntur istæ ipsæ ad mitiores fruges studio, solertiaq; cultorum. sedeat manibus compositis in sinum inoculator indiligens: sylvescet rudis arbor, in amarissimas induens se baccas. fac, per artem excoqui vitium: ut insitor primò ramusculum in solidum secet: mox rectè transversum incidat: tum alieno surculo inoculet: indè adstringat: prætereà terra condat, ac foliis: postremò riget sæpè; tum enimverò virgulta subnascuntur, fruges datura bellè mites, artis & naturæ seu æmulatio-

latione, seu fœdere. Etiam ne brassicas ac betas in hortis sedulò excolendas: filios domi negligendos? quid uspiam, nisi si fungus, aut par quidpiam ignobile, ad optima illaboratum excrevit? insudandum, fatiscendum est patribus præ labore: ut demum sciant, patrem munus non nomen, non vocem sed vicem esse: & naturam elargitam nomenclationem honoratam parentis beneficium fœnerasse.

Et ista sanè præter rem, sed non omnino abs re in parentes. nunc reddo me causæ, excussurus, quod restat, de junioribus illos, qui turpiorem, quàm ab otio, à negotio ipso ignaviam trahunt. pugna fuit mihi modò magna cum hominibus insciis; quanta jam in extrema cera cum sciolis? quando autem prior locus tempus penè omne demessuit: limo strictissimè, quæ quàm plurima dicenda restarent: & illos de multi generis literatoribus extinguo, quales euripos, fluctusque literarum! qui posteaquam grammaticę vix auricuralis apicē immersere, repentè emergunt poëtæ: &, quod nequius est, poëtæ rotundi. statim coram te ventriosi tument item, atque Aganippem, cæterosque doctos illos fontes haustu uno exiccarint: item atque in pegaso de teneris unguiculis equitarint, tertium quodque verbum Pindus, Helicon, Cyrrha. quos afferre spiritus putatis, ubi farciunt vernaculos versus (istos, inquam: nam græcis, latinisve lingua deterret) in quibus tamen velut in arena sua mactè ampullantur? Homerus, Maro, Flaccus inter latinos, græcosque poëtas fortasse aliqui reverentia ætatis: nulli verò quales ipsi inter suos ingenii festivitate. quid quæris? de primatu certent minimùm recta fronte cum musis. qua in re duo illa, supra quàm credibile, non placent, alterum, quod ita toti meræ sunt nugæ: ut firmas unicèque utiles disciplinas

coquendas vegetiore ſtomacho penitùs nauſeent. alterum, quod abluta ſepiſſimè verecūdia uſque adeo ineptiunt, ut traducant ſe prorſus ad Mecenatis, Gallioniſve dilutas compoſitiones, ad amores, ad alia paria deliramenta, quibus ſuum alienumq; morē, ſuam alienāq mētē proſtituūt. ne iſti ſi nō parcunt utilitati ſuæ, at certè parcerēt honori. enimverò ab alienis didicimus: qui unus pudorē ſemel poſuit, pudicitiā profudiſſe multò ante; quandoquidē vetus eſt verbum, ad id, quod dolet, manum decurrere. quapropter ſeriò videant ſcriptores iſti licentiores, ne quas notas chartis imprimunt turpiter, famæ ſuæ turpiùs inurant. Quid tum ipſi arrogantiùs? tenere ſe manu, ajunt, floridiores muſas: poëſim beneficio ſuo non vixiſſe jam dudum. O fortunatam eloquentiam, ſi ſentinam horum hominum ab ſe abiiceret. Poëtis concedo ego inter ſapientes locum, & honoratum. ſed ſimul nego, poëtam eſſe, qui verſus utcunque confercit in triplices: qui ſcribit amatorias cantilenas, liqueſcente per ignaviam ſtylo. nimirum attentè videro, ne poëtas iſtos nominem. poëtrias enimverò aliquas de nequiſſimis dixerim, qui effœminaverint muſas ipſas: Parnaſſumque, per antiquum diem à virginibus habitum, olim in luſtra converterint. huccine recidere vatum religioſa illa nomina, & appellationes venerandæ? ſi redirent ad vivos veteres illi antiſtites muſarum; certarent, ut opinor, pugnis ac morſibus, quò quàm citiſſimè de poëtarum albo expungerentur Vates magnum nomen, res major; ut quæratur proinde plurimùm: minimùm acquiratur. literariæ reipub. optimè foret: ſi quot ſæculis unus aut alter ſummùm, abſolutus numeris omnibus poëta naſceretur. nunc venditant ſe cōtra mihi turmatim neſcio qui, quos acris titillat voluptas, ut poëtæ ſalutentur. quorſum ego plura?

plura? ecce vulnera, pestis, excidia sapientiæ. operantur adolescentes nostri levissimis, interdum pudendis versificationibus, in quibus oleum, operamque sumũt. ita ubi sciunt maximè, nesciunt permaximè. Ergò qui velimus, suscitare literas ultra, quàm satis est, jacentes: qui reddere nitamur nativam illam imaginem benè actuosæ solertisque juventutis, illa nobis valdè contraria curanda sunt: ut inter adolescentes minus otiosi degant alii, alii degant negotiosi sapientiùs.

Restat nunc illud, ut in egressu orationis meæ ad omnes de isto inertium globo, pariter ac si mihi afforent præsentes, me convertam, agamque cum iis: ut habeãt jam aliquam aliquando animi mentem: &, quid se deceat, cogitantes ipsi, se demum exuscitent. præterea obtestor, ut novissima istæc verba, vel etiam preces æquè missa ex ore accipiant meo, & sanctissimæ patriæ bonorumque civium omnium, quos ista eadem cura solicitat. Expergiscimini, inquam, quoscunque irretit malum otium, aut inanes tenent curæ: & patrios capessite spiritus. viri aliquando inter viros estote. Jam ipsa ignavia vestra apud nationes exteras in ore, inscitia in risu habetur; quoniam adolescentia ætas est, quã nemo non observat: quam valdè dedecet, non modò si minimùm improba sit, sed etiam nisi plurimùm proba. respicite dignitatem clarissimæ urbis, & cognoscite, quas illi plagas imponitis, resilire in vos: & una non unam opprimi ruina. patria ruente, non statis ulli cives: vobis jacentibus, nemo deinceps caveat, quin patria proruatur. etiamne cœlo æquatam ab majoribus vestris laudem per summam ignaviã, ac dedecus æquare solo? quid ubi narratum sit, illam laudem non solùm per vos usque ad maximam à magna prolatam non fuisse: sed ne magnam quidem à maxima fuisse serva-

tam? dicemini turpissimas ob causas a sapientia defeciſſe: & minimum erit inter probra, quam maximum reor, inſcitia. igitur facite officium veſtrum ſive ex animo, ſive tandem coacti verecundiæ morſu. proprias, firmaſquè reddite ſpes illas, ad quas nati eſtis, eductiquè. deniquè pudeat, floridiſſima ætate, patriç, generi, prætereà vobis ipſis degeneres eſſe victuros.

IM-

Immaculatæ Conceptioni Beatiſſimæ Virginis Mariæ

ob Neapolim à peſtilentia ſervatam.

ORATIO IV.

Sępè, vos crediderim, riſiſſe Heraclitum; quòd hic non ſanguine, ſed fletu concretus, nunquam à lacrymis vacuus, aſſiduò, præficam agere, videretur. nunc verò vivi ad ea tempora pervenimus, ut ab Heraclito ſtare, eundemque lacrymarum tenaciſſimum ſequi cogamur. adeo magis magiſque rumpimur indies, novis ſubinde inſurgentibus malis, ut, quæ aliis alia impertita ætatibus, in unam hanc noſtram ſimul coacta, videantur. Vidimus non multis ab hinc annis, contracto longum tempus incendii alimento, flammis ſecum ipſis reluctantibus rumpi montem: èque fœtis vi ſulfurea cavernis per os, per coſtas eructare flammas: rupes in balliſtæ morem torquere: ferventes vomere ex liquato bitumine fluvvios in eam inſaniam, ut conſternatus ad Veſevi furorem terrarum orbis, cuncta in cinerem ſolvenda formidaret. Mox, tanquam ſi mitiùs tum foret actum, & ſatis res ſalvæ pluvia inter incendia fuiſſent, quod ſani fuerat relictum, revocavit illud ad ſtragem excuſſa ab imo tellus, humanum, credo, pertæſa jugum, aut in extremis malis noſtris more ſuo tripudiatura. Porrò autem, ut ſi calcem ſub calce tererent ruinæ, bellum adeſt civile, & inteſtinum; perinde quaſi leve foret, ab aliis perdi: niſi no-

ſtra adjuturi vulnera, nos ipſi in noſtram perniciem arma ferremus. Poſtremum omnium inaudita lues coronidem inductura ſuppliciis tantò pejor evenit: quoniam per ultimam ſævitiem ne ii quidem fiunt reliqui, qui everſæ patriæ reliquias lamententur. nam, ut ſcitis, & ſæpè deflevimus, bacchatur tam inſolens legis, tam ſine more ex erebo adducta peſtilentia, ut ſerpens tectè per latibula urbes quàm celeberrimas momentò afflixerit; afflixerit, inquam? imò de ſtirpe deleverit. quæ truculenta pernicies intẽtata principi eſt urbi primum omnium; undè fiebat, ut, quẽadmodum, niſi poteſt caput, nulla eſt pars corporis integra, ad ejus urbis excidium regnum circa ipſum rueret, & utramque duceret ruinam ille dies. quapropter non ſolùm gratulãdum arbitror nobis ipſis: quòd noſtra ſalus adhuc verſatur in vado; ſed etiam gratias immortales illi habendas, per quam effectum eſt, ut funerum vena reſiſteret, & Neapolis utcunq; Neapoli redderetur. & ſanè actum jam de præclariſſima erat urbe: Neapolis omnino cõclamata; atque adeo graſſabatur ad internecionem uſque contages, civiumque promiſcua ſe cæde ſatiabat, ut vel ex principio frequentem mortalium necem ipſa jam ſepulcra deficerent. tum demum intellectum eſt, civium ſalutem non in remedio ampliùs, ſed in beneficio futuram. Tuus indè, auguſtiſſima Virginum, Conceptus cujuſcunq; inſolens labis imploratus: & audita ſunt vota, non tamen ante, quàm urbs pænè exhauſta funeribus ſentiret demum, ſe perdi. Ipſe verò non ſum adeo ambitioſus in malis, ut vulnera refricare, faciemque urbis jam jam labentis hìc aperire conſilium fuerit, niſi è re mea Conceptionis Immaculatæ meritum in illam urbem tãtò magis his coloribus eluceret. cæterùm ne credite, loqui me in hac lue quid huma-

humanum, quid tolerabile, aut uſpiam auditum, aut opinione conjectum. malum extra ordinem fuit, ideq; extra fidem erit; nec lecta unquam, aut annalibus memorata tam improba contages, quæ ſingulos in dies ter, quater, interdum quinquies mille hominum ſtrage vix ſe demum expleverit. prodigia narrare credidit, qui meminit peſtilentiæ anno à Virginis partu, milleſimo, quadrigenteſimo Florentiæ graſſatę, in qua tamen triginta millia hominum deſiderata. & illa altera in Conſtantinopolitana urbe, Leone Iſauro imperante, ab orbe condito nulla memorata crudelior, in qua ter centena millia civium abſumpta. iſta verò, ut frequentes apportant literæ, Conſtantinopolitanam ita ſuperat, ut ſexies dena millia ſuperaddat. ex quo intelligitur, una in Neapoli per quinque, aut pauciores menſes ter centies, & ſexagies mille homines contagio trucidatos. At ſi cædes ob frequentiam miſeranda ſupra modum videtur: quantò, dum tenorem modumquè pendatis, miſerabilior? horret animus dicere, quæ, quoniam opinione aſperiora contingunt, ficta veris immixta credetis. Præcipitaverat hyems: aperiebat ver luctuoſiſſimum annum; & Neapoli tum primùm morbi odorata ſemina metum potiùs, quàm remedia expreſſere. poſt ubi lues utcunque reſtiterat, ſeu aliquantiſper repreſſa per artem, ſeu potius fallacis morbi furto occultata; clandeſtina penitaque cæpit ſerpere in alios, atq; alios; diffundi ſenſim in venas: ali per commercia: per conſuetudines corrivari pedatim. mox, crebreſcente funerum fama, detegi ludus: oſtendi tabes: interficere primò vulgus: deinde invadere promiſcuè ſingulos: nihil inter ætatem & ſexum dignoſcere, exaſperari, furere; donec, etſi æquo tardius, intellectum eſt re ipſa, nihil malè ſopito igne inſidioſius. tamen itum eſt ad auxi-

auxilia, audacia sanè multa, nulla felicitate. continuò interdicta civibus publica: jussi curatores salutis, per quos, aperta luce laborantibus, nosocomia separatim extra urbem attributa non sine medentium inibi exquisitissima cura: imperatæ suspectis quadragenariæ secessiones, incertæ pericula valetudinis:urbis regio omnis lustrabatur: omne conquirebatur angiportum: ab ægris integri sejungebātur: omnia sedulò accurabantur: quibus speratum, fore, ut inter cunas suffocaretur contages. Sed jam se malum subduxerat curæ; & in urbis modum, quæ diu contra hostilem reluctata impetū, vineasque turresque admotas ægrè perpessa, dat tamen latus arieti, obstinato verberatu sæpius recurrēti:ruitq; tantò infelicior, quantò vim vi retundendo hostiles magis iras exacuit; ita ubi demum vicit malum remedia, exarsit, pervenitque hòc furoris, ut centena denis, centenis millena, & his alia subinde millena extinctorum adderet capita. Hìc tum non ille morbus erat,sed strages: & ex tam maxima, quàm dici nequit, moriētium hominum vi ignorares, urbem ne incoleres, an sepulcrum. Intereà qui luctus? qui squalor? quæ trepidatio? aræ à sacerdotibus vacuæ, oratoribus nudata rostra, palatia dominis. sola compita, sola curia, fori sola facies, inducta aut per metum, aut per mortem solitudine. quid si omnia hostilia? quid si tota urbe victor volitaret miles? quid si quisq; sua in domo circumventus? quid? quod tollerabilior accidisset vastatæ urbis conditio. ademptæ civium consuetudines: scissi cōventus: salutationes formidatæ: dirēpta sępissimè inopinata morte colloquia. quid plura? tanta in urbe nihil cernere erat urbanum. occulere tecto se quisque: amicum, aggressoremquè juxta metuere: audacissimus omnium vitam sperare per fugam. Nec amicitias tantùm, consuetudinesque civiles, sed necessitudines etiā

con-

consanguineos inter, cognatosque absciderat contagio. cavebat à nato parens, à parente natus: conjux invisa conjugi, fratri frater: jam in fraudes colloquia, jam in insidias amplexus, oscula vertebant in vulnera. omnia omnes habere suspecta: aërem ipsum formidare, perhorrescere: spiritum ipsum, qui duceretur, odisse. Ad hoc pestilentia tangi, ægrotare, jacere, agere animam, emori punctus erat. quot creditis inter epulas extinctos? quot veluti per jocum morbi mortẽ à somno incepisse putatis? quot in pedes è cubili receptos, sub manu in lectum de integro, hoc est, in feretrum revolutos? quot metu? quot mærore? quot fame exanimatos! Efferebantur, imò veriùs eiiciebantur cadavera domibus nulla pompa, nulla face, nulla necessariorum frequentia, nullo fletu. O rem & auditu miseram, & visu miserrimam. ipsæ ipsæ matres visæ, sua viscera, delicias olim suas, contagii metu, natos peste interfectos harpagone veluti feras trahere, levare furca, è fenestra devolvere. adeo nullus tam magnus amor est, quem demum æquè magnus non perimat timor. Quid memorem domesticorum fugam, ubi quis domi pestilentia interciperetur? deserebatur æger è vestigio: distrahebantur ab ipso ipsi percõjunctissimi: vix plorabatur, exhaustis frequentia funerum lacrymis. is tum moriturus indigus omnium, omnium vacuus, sine cura, sine spe, nec amicum habere assidentem ad spondam, nec lacrymis illacrymantem parentem, nec excipientem germanum suspiria, nec pendẽtẽm à nutu numerosam familiam, exigua, sed tamen necessaria ingruentis jam fati solatia. at solitarius, at secretus veluti fera tabescere: cum dolorum verticibus luctari solus: ipse sibi curæ, ipse solatio esse. ubi fames urgeret, trahere se pænè inter mortuum ad frustum esculentum,

quod

quod tanquam omne delicium vultu averso à carissimo omnium sub fores illi raptim proiiceretur. Hoc quidem miserum est exulem occumbere. illud verò majus, absentibus occumbere liberis, necessariis omnibus. quid autem emori longè à suis inter suos? quid extingui præsentibus iisdem, & absentibus amicis? quid exanimati sua in urbe, sua in domo eo ritu, quo per barbaras regiones, quo per deserta, & crudelia loca, quo inter Getas, aut Hircanos? Et quidem morientium is horror; sed quantò major mortuorum? ventum eò jã erat, ut obeunti non esset metuendus tumulus, sed sperandus. jacebant per compita passim feris exposita cadavera, corrosa sanie, morbi suaque duplici peste putentia, inter quæ germanum aspiceres, aut parentem, quem nonnisi duplicato funere funerares. propterea felicitatis summa erat, eodem sub tecto extingui, ac putrescere. sin verò, ò multò miserrimam conditionem! postea quam strata sub domos diu multumq; tabuerant exaggerata cadavera, indè mancipiorum manu confusè, ac permixtè in carpenta, carrucasque sine nomine inferri, congeri: mox indeplorata extra carissimam urbem, extra natale solum, extra patrios muros exigi, extermi-nari; perinde quasi non pœna mors fuisset, sed culpa. Ad hæc offerebat se se in excidii societatem fames, lenta carnifex, secreta pestis, bellum intestinum. quamvis enim omni copiarum genere urbs per se foret referta; tamen ubi fuerint interclusi commeatus, importandiq; alimentorum sublata potestas, in frequentissima urbe omnis inops est copia. quam ob rem extenuari paulatim annona cæpta est: undè primùm orta caritas, mox inopia. hinc fiebat, ut õnis à letho fuga intercluderetur; quis enim, ut omnia, adhuc se fugiat? itaq; qui omnino metu cõtagis abstinebãt publico, pestẽ non sine peste re-

move-

movebant. Narrant, fuisse, qui ditissimus apprime, in penetrali sede amplissimæ domus stragulis acu pictis circum vestita, super serica, & conchiliata toralia, ante onustos abacos facti argenti, numeratæ pecuniç, vestisque pretiosæ per quàm locuples, in summa, auctus supellectile per abundanti, à fame vilissimorum mancipiorum carnifice interierit. hinc vobiscum ipsi reputate, quid plebecula? quid bajuli? quid ii ipsi, qui mercede manuum se tolerabant, in quorum domibus nihil cernere est præter ipsos? quid denique tam magna vis illorum, qui vitam alerent precariò, viverentque in dies: quandoquidem opulentissimos quosque fortunis omnibus circumfusos, in deliciis natos, educatosque in sinu felicitatis tam perditè invasit inopia? Nunc verò in tanta colluvione, & confusione rerum omnium repetite paulo altius, AA, & cogitatione ipsa revolvite pristinæ faciẽ urbis, populariũ frequẽtiam, nitorẽ equitũ, locupletissimorum vim, aëris habitudinem quàm saluberrimã. ubi nã terrarum altera vetus Neapolis, quà cæli ingenio percelebris, quà genio incolarũ per quàm elegãs, quà publicis ac domesticis cõspicua ornamẽtis, quà rerum omnium confluxu satis abundequè beata? verùm ecce tibi immutata scenico quodam filo singula, datusquè omnis omnino vastitati locus. nudatæ divitibus divitiæ: inops ab equitibus equester locus: à civibus vacua civitas: & Neapoli demum desiderata Neapolis. Istæc autem, & hisce paria, quæ diximus, cognita nobis tantummodo. sed est longè numerosior calamitas, quàm ut per me tractim dici queat. etenim quantò asperiora, quæ premit silentium, quæ tanta regionis intercipit distantia, quæ pudor obtexit, quæ, quoniam vix credenda, ipsa eadem fama præterijt? cæterùm quis non conjectet, quàm fuerint per se

hor-

horrenda illa, quæ quamvis absente nobis perfecta, quamvis nec ad unguem hoc loco narrata: sed incisa partim, alia congesta, aut libata uspiam, aut uspiā tantùm monstrata, quamvis denique tumultuario quodam stylo, & cursim cæsimque prætereunte proposita, perstringunt tamen animum, contrahuntque apprimè. Nunc demum agite per vestram fidem, AA. est ne quæso à vobis, qui minus coniecturam fecerit, quid tam crudelibus responsurum demum esset initijs? quam ruinam pro tempore istæc funestissima cœpta protraxissent? ac planè ex quanam arte, ex quonam consilio tantæ morbi licentiæ injicerentur fræna? ubi jam immissa habenis omnibus, & in excidia lues ingurgitata revocaretur? quis tandem imponeret tantis doloribus magnum diem? Sed oportebat, illibata labem, indemnis damnum, noxam innoxia vindicasset. Oportebat, finem faceret unius urbis excidio, quæ totius orbis incolumitati fecit initium. oportebat, illa urbs ab ultima clade prohiberetur, quæ multò ante immaculato Virginis conceptui vota sacraverat. oportebat, privatæ hujus contagionis damna reficeret, quæ communis contagij pestem reparasset. oportebat, bona salus ex illa flueret, à qua sola quilibet ablegatur interitus. oportebat demum, singularem noxam singularis innocentia redimeret: contra corruptelam extra ordinem integritas extraordinaria mederetur. felicissimam in malis suis illam urbem, cujus bona valetudo staret miraculo. juvat procul dubio in hunc modum interijsse; quando sic foret de integro mirabiliter vivendum. funera beatissima, ut quæ tantum patrocinij meruere. Et certè nemo est omnium, qui portenti loco non habeat; quoniam in tam numerosa clade, in tam multiplici nece citra internecionem sævitum est.

deto-

detonuit ex insperato tempestas: inducta pro votis, sed præter opinionem serenitas: deferbuit non sine Virgine inopinatò pestilentia, & inductus eo temporis stragi margo, cum adeo de salute diffideretur, ut ejus desideria non intra spem amplius, sed intra temeritatem forent. Ergo ex hoc videor mihi, tot in ea urbe videre miracula, quot superstites: tot donatam mortalibus vitã, quot non adempta: tot è mortuis excitatos, quot inter mortuos non fuere recensi. impẽdebat, urgebat, in faucibus exitium erat. pestilentia non urbem allidere, sed delere: non extenuare, sed vastare minabatur. tam magna vis pereuntium, tanta execrandæ pestis illuvies, mixta omnia, turmatimq; undequaque confluentia mala non ruinæ metum, sed salutis desperationem induxerant. Deus immortalis. qui lætitiæ sensus, quæ festiva tum conclamatio, cum respirare urbs parumper occœpit, se sibi reddere, post tantam vastitatem facere aliquampiam civitatis imaginem, restaurari publica, restitui civibus cives, depelli purgamentis residua tabes, eandemq; longè tractabiliorem experiri? qui laborum ex illo die fructus? quæ gaudia, cum se voti ream sensit Neapolis, civicamq; salutem non conceptam ante precibus, quàm susceptam, non priùs oratam accepit, quàm exoratam? Vicisti, Virgo, urbis desideria, vicisti: præisti spes: vota superasti. magnum fuit hoc beneficij sperasse: accepisse; nescio sanè, quid addam, multò laus anteit verba; nec ipsa digna silentio est: nec talis ego, qui sim illam exornando. quare illaudatum remaneret omnino tantum meritum: nisi ipsum idem laudationis inopia commẽdaret. Perge in opus, & beneficium tuum proprium redde. debes hoc gloriæ tuæ: debes pietati, eam tibi urbem excipere ab excidio. Tu ab illa luem omnem prohibe: dum labem

à te

à te illa omnem eliminat. cedo, quod potes: intereà gestiet ista reddidisse. quod debet. facies hoc more tuo; nec erit ulla unquam tam ingrata posteritas, quæ suorum Majorum damnata votis, vitam beneficio ex media strage receptam ejusdem beneficij laudationibus non insumat,

ARI-

ARISTOTELES VINDICATVS

PROLVSIO I.

Habita, cum Author, Theologiæ magister designatus, illo anno ad explicandum tractatum de Censuris aggrederetur.

REm post successum lepidam, sed sine eo certè lacrymosam ita, ut nunc nuper accidit, dicere ab extremo, consilium est. vos, si quicquam vacat, posthabere seria vestra ludo meo, advertite, quæso, tantisper animum, Audit. humanissimi. etenim quæ vidi, queq; magis tuli digna, indigna, datus in argumentum fabulæ, dissimulare omnino, ac tacitè habere, si vellē, non possem: si posse, nollē. cæterùm etsi morbus non sit meus cacoethes illud insanabile dicendi; imo si unquam aliàs, hac in primis tempestate, cum me aliæ aliorsum distulere curæ, animique mentem ab officiis istiusmodi longè avocarunt, tentari hac scabie nolo, manumquè libentissimè sub pallio haberem; undè nequicquam nova materie prælegendi ad novam proludendi rationem proritante, jam mecum ipse exegerã, posthabita omni dignitate, missa pompa (quod sanè condecebat doctorem, ut me, supellectilis tam angustæ, & accisæ) aggredi ad Theologiam profanorum ritu, sacramque palæstram auspicari sine auspiciis, sine lituo, nullo templo inauguratum: tamen imposita honesto homini improba persona calumniæ consilium involavit. pupugit hæc planè intima, strinxitque ipsum

D vivum:

vivum: ut in tam acri sensu doloris nihil exclamare, vel lapidem, luderes operam, si juberes. Quo circa vos pro humanitate vestra boni jam consulite narrantem me de recentissimis infortuniis meis. erit fortasse in ea narratiuncula pretium aliquod operæ non pœnitẽdum; quippe lucro demum fuerunt impendia hæc ipsa: ut liceret mihi quoque accinere vetulum verbum: Νῦν εὐπεπλόηκα, ὅτε νεναυάγηκα. Nunc benè navigavi, cum navem fregi.

Ergò posteaquam invitis omnibus bonis artibus, & pingui minerva mea non multò ante suffectus, ac veluti succenturiatus docendæ theologiæ sum: homo, si superis placet, honoratus, ac bonus, qua valebat gratia apud senatum principem Theologorum, cujus in nos omnes summa potestas est, rima nescio qua sibi reperta, recenti præfecturæ tam commodus intercessit, ut nisi qualis qualis dicendi contentio defensum mihi meũ beneficium dedisset, & in provincia jam suscepta tenuisset, erat propè factum, ut, exeunte re in fabellam oppidò deridiculam, uno penè eodemque die authoratus exauthoratus, hæres exhæres in vacuum venirem. itaq; quo tempore gratulabar mihi conventum hunc, hanc coronam, hunc multò jucundissimum conspectum vestrum (siquidem, ut est paræmia, Omne festum multas habet) ecce tibi ex ulysseo quodam gnavi capitis commento, mutatis de repente in scena frontibus, areopagum ultrò in me totum, actores, actuarii, quæsitores, judices, qui non? ut jam ipse, qui forum, ac fori bella ne de facie quidem ante hac noram, in iisdem nescio quo fato includerer utroque pede; ex quo repetens aliquando mea mecum otia, halcidonia mea inter commentatiunculas utcumque ollares, pacatas certè, & oleo tranquilliores, irascebar in immensum fato meo: quòd nullis hostiis litatum, nullis procuratum cæremoniis

moniis ex libidine sua tam ægrè mihi fecerit facturum benè, induceritque in casses, unde nullus me Oedipus extricaret. sed jam propiùs accipite modos indignissimos, quibus hæc mihi faba cudebatur.

Receperam equidem, ut modò audistis, tesserã novæ artis, & appetente jam justo transmigrandi tempore, vasis conclamatis, in novam provinciam securus, sed non tutus maturabam; nam inter maturandum, eccum offendiculum ipsum omnino insperatum, multòque molestissimum. Enimverò cum forte fortuna irem de meridie via publica, vel nihil meditans, vel meditans aliquid de nugis meis, fit obviam improvisus homo de foro, qui voce, ut solet ista natio, insolentissima antestatus præsentes, meque nominatim exclamans, heus tu, inquit, resiste: multis te volo. miratus ego nudum caput, ac frontem impudentissimam hominis, resisto. istum interea contortuplicatum nescio quem, impurumque codicem evolvens, contracto dein supercilio, pancratica, & planè gladiatoria voce, quasi Rhadamãthus de sella, in hunc fermè modum denunciat, reputante contra me factum illud licentiam jocularem; nam est is cæteroquin & facie, & facetiis admodum deridiculus, carusquè apprimè coronis otiosorum, quas quoque tempore scurrilem in modum salibus aspergit suis. tunc in rem suprà quàm fuisset mihi optandum serius, Patres, inquit, Illustrissimi, ac theologiæ Antistites summi, amplissimi, sapientissimi, tibi una cera, suffragio uno, quotquot sunt, arctissimam legem dicunt, præcipiunt, imperant, mulctandus perduellionis, si quicquam refractarius abnuas, institutione theologica, ad quã te nunc involare rescitum est, ut volens nolensquè omninò abstineas. interdicũt te quippe omnes ad unum tali munere. ego publicæ authoritatis homo ante hos justos testes eo munere te interdi-

ctum denuncio. sin autem hoc edictum coquit te plus æquo, ac rationem tibi declarari velles, undè ista edicantnr, age, siste te senatui, qui propediem legitimus cogendus erit. ab eo disces æquissimam facti causam. hactenus agrestis ille præco, jam cum silentio præstolans, quid ipse responderem. Sed qui nulla delicti suspicione remordebar, noveramquè salsum ingenium viri, perinde ut de me nihil fabula narraretur, multùm ab re ad dicentem magis, quàm ad dicta respondi: mi homo canis? an etiam serius scurraris in via? apage te quæso hinc, cum ista tua decembri licentia: aut quem rideas, quære tibi commodiorem alium. atque hæc dixi, cum quodam aceto, quo ille perfusus, quasi ignem fornaci subjecissem, excanduit incredibiliter, vociferansq; venis ad turpitudinem ultra modum surgētibus, Imò te, inquit, te ipsissimum, non quem rideam, sed qui doleas, quæro. quasi autem parum sobrius, ac siccus tibi videor, qui cum tanto sole homines proximè intuens aberrem, & jam, ut lis de lite seritur, quæ dixerat, & quæ non dixerat, voce multò majore repetens à principio, concursum per viam indecentissimum faciebat: quod, ut ego vidi, & vidi super mecum agi seriò, nec pro eo tempore nebulonem illum esse in palæstra sua, leniens, quod poteram perturbati hominis stomachum, tace, inquam: ne tam subitò tu tantas tragædias. audivi legem. quid tu amplius? abi hinc in malam. simul exarsi, ut adderem: renunciaret suis illis Patribus illustrissimis, amplissimis, sapientissimis, quandoquidem non me adeo urebat carere publico, atque in turba pro jure latere meo, exedra cariturum, ut vellēt: causam scirent omnino ipsi, qui vellent: mihi non esse tanti excutere illam rem, quæ unde unde gētium sit nata, amanti otium suum caderet secundùm votum. Sed verò cogitatio consultior revocavit statim, captum in turbi-

turbida arena consilium, primosque impetus compescui. nempè visum est, è re minus publica futurum, si doctores designati pro qualibet opera calumniatorum tam insignem ignominiam acciperent, ut causa indicta, voce præconis, de gradu suscepto deturbarentur. proinde inficeto illi respondere satius fuit: Quamquam nihil. succurrit, undè causa mea planè, quatinus mihi videbatur, integra tantum repentè vitium fecerit, ut tã nova, tam indigna in me exempla fierent; tamen, ut erat par, facturum imperata impræsentiarum: legitimo verò die staturum me senatui, ut, quod potero, causam ipsi meam probem; habere enim pro certissimo, tantã, tãq; subitam in me Patrum offensionem non derivari aliunde, quàm à quopiam mali commatis, ac dentato veteratore, qui in sua commoda tales ipsorum oculis præstigias fecerit. nec ego plura, nec ille alia. diversi statim abscessimus: cum præconio ille suo tam probè facto: cum indignatione ego mea pessum pressa; sed non sic pressa, ut non subsiliret identidem, bilemque conciret in nasum, animo ingerens acta illa tàm præclarè, me prorsus ignaro, de meo capite comitia: ludumque factum tam elegantem, ut una omnino hora delatus sim, adnotatus sim, proscriptus sim, ne musca quidem præsente, quæ contradiceret. Sed post tempus non valdè multum decretorius illuxit dies. convolo ad Senatum:

(1) (Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι *Hùc animus mihi versanti inclinabat, & illuc*:) nõ ita à crimine, ut à criminis opinione timens rebus meis. quippe illud est calumniæ malum ingenium, ut imbibatur animo semel, reddatur nunquam. Igitur adsum coram: &, ne multis, nomen do; admittor. profero libellum supplicem: audior. erat autem libelli summa:

(1) *Il. π'*

Quandoquidem nova lege theologico stadio prohiberer (qua certè via vulnus inferebatur altissimum meo nomini, & omnis bona fama contaminabatur) daretur criminis cognitio: daretur, quod hactenus negatum consueta in barbaris quoque judiciis causæ defensio. data omnia: illud auctario, quod si expurgare vellem me commodiùs, nec omnino adstringi ad suscipiendam de improviso extèmporalem illam, & imparatam defensionem, diffindere Patres, ut decet humanos, diem: si parum, comperendinare: etiam, si hoc est parum, ampliare, ut ipse multò magis maluissem. Verùm ego oblitus cætera, unas impensè criminosas tabulas deperibam: unas istas ante omnia postulabam, quas tandem cũ publicus actuarius offert, obviis excipio ulnis, pervolansq; statim à primo usq; ad ultimũ versiculum. postquã intellexi; quid haberent, respiravi; nec tamen quivi abstinere me, quò minus accusatoris partim irascerer impudentiæ, partim imprudentiam riderem. proximè post hæc cum ille idem ab actibus scitaretur ex me, utrũ mallem, comperendinationis ne, an verò ampliationis beneficio uti, stomachatus ex arena funem, sive ex musca elephantum fieri, respondi cum quadam nausea, neque crimen esse adeo capitale, ut ad refutandum ipsum indigeret patronus, experiri in multos dies antonias declamationes in hortis: neque habere me peculium tam intricatum, qui non sim quoquo tempore supputando coram quolibet ratiunculas meas. nec pluribus, ociùs me in medium moveo: consaluto circum circa omnes: tum ajo: Patres præstantissimi, velitis, jubeatis vos, pro æquitate vestra, venire me hoc ipso tempore in rem meam, concessumque modò patrociniũ adversus eum, qui expertus in me nuper apud vos est, vestris non ingratiis, me arripere? annuentibus statim universis, dum tanta celeritas non esset fraudi mihi,
hunc

hunc ipse in modum meam defensionem incipio.

Patres amplissimi, siquidem. at ò me obliviosum, ac planè vecordem. quorsum in causam irruo, qui nihil de ejus conditione, statuquè, ut oportebat, ad vos prænarraverim? ergò insulsæ illius accusationis, quod raptim perlegere potui, tantum erat. Interpretatus cum studio, & cura non multo ante tres ipsos solidos annos Aristotelem, philosophum in multis alienum ab orthodoxa, & erroribus nominatim suis pessimè de tota theologia meritum, non bellè casurum, si nihil anteà perquisitus, excussusque diligenter, ad sacram hanc facultatem accederem. idcirco pro cautione quàm posset maxima, standum ante omnia omni pede, ut doctor recens designatus obtentu aliquo expungar. quod si nō successerit, admittar tandem ea lege expressa, ut ejurē solenni formula, ac ritu per verba concepta philosophum hunc adeo falsum, & fallacem: adigarquè sacramento, ut ex animi mei sententia pronunciem, deserturum, atque execraturum, quæ is passim inter docendum narrat somnia, & capitosas fallacias, nihil interea ipsius dignitate respecta. tum ex ordine consequebatur catalogus benè magnus sententiarum, quibus cō-trarios errores effutierit Stagyrita. denique in extrema cera ad præclaram totius operis coronidem laudabatur scriptor quidam novus (nostis eum vos: ipse amplius eapropter tantùm non odi) qui lucubrationibus suis cæterà ingeniosis disputationem inservit sub illo egregio titulo, De erroribus Aristotelis, Barbam leoni mortuo securus evellens. Redeo nunc illò, undè interciderat oratio mea.

Patres, ajebam, amplissimi, si quidem hic sumus, ut magis, quàm mea, clarissimi viri dignitas, atque existimatio agatur, per vestram fidem ne gravemini, me pro me, pro maximo viro utcunque pluribus, se-

cundùm rei conditionem semper compressè, & paucissimis dicturum, pronis accipere auribus, animoque si minus prolixo, tamem non infenso, usque dum omnia dicam, audire. quos enim alteros magis, quàm vos ipsos sapientiæ, ac justitiæ oculos deceat, illum optimè, me non pessimè de bonis artibus meritos tueri suffragijs, fovere gratia, & contra paucorum injuriam innoxios servare? equidem non possum, quin summopere doleam, vobis viventibus, ac videntibus licere tantùm audaciæ, & in regno vestro columbas ita ut corvos æqua, & utinam æqua censura vexari. Sed illud statim oro, obtestorquè, ut ne putetis, mea me potissimùm gratia in hoc patrocinium venire: quasi si multùm timeam, ne causa cadens à theologico pulvere ableger, bovem servaturus in Argiva.bona, mala ut ut erit per vos causa mea', mihi adutràque fortunam paratissimo perinde erit. sed perinde esse non potuit, iniquo jure per emissarij cujuspiam os, frontemque perfrictam detrahi summo viro de summa laude, cogiq; in ordinē, qui utrāq; sapiētię paginam extra ordinem omnem replevit. ecquem enimverò alterum, uno hoc excepto, comperias, & si usque ab Iapeto numeres, philosophum, qui ex naturæ dumtaxat instinctu nihil præter liram docuerit, nihil, quæ est aristotelicæ mentis indicatura maxima, & frustra.eam nunc invidi carpunt, nihil, inquam, docuerit, quod probè introspectum, pensatumquè reclamet his, quæ Deo testante didicimus. hanc ipsam verè divinam laudem ne divinus quidem Plato communicat; scimus .n. quàm multoties in res Dei testimonio retectas imprudens iste peccaverit. quàm sæpè cum rerum venas magis palpat, quàm penetrat, vigilās somniaverit: ut vel ex hac parte usque cælum tolli Stagyrita debuisset, qui à tam laudato præceptore præceptiones tam parum sanas auditor, ut fit,
bibu-

bibulus ipſe non hauſerit. quanquam ſi hauſiſſet, ſi naturæ cæcutientis maligno ductu toto cælo aberraſſet, idcirco ne oportuit, configere hominis oculos, & dilapidari famam viri, quo, non dico, majorem, ne ſuparem quidem ulla dederit, vel datura ſit ætas? idcirco ne decuit penè ex albo abradere philoſophorum philoſophum tam longè, latèque, ſapientem, ut ferè nulla ex omnibus diſciplina ſit, quæ vel fontem ipſi non debeat, vel famam? idcirco ſtatuere in terra, quicunque ſtuduerint illum, atque imbiberint animo ſapientiam, eoſdēq; præfocare omnino, niſi ſtatim ad infamē abjuratæ amicitiæ proditionē, veluti ad aram profugerent? Improbat Ariſtotelem cupedinarius neſcio quis. at probat ſanctiſſimorum Doctorum apex Hieronymus: & videte per Deum immortalem quàm claſſico ſuffragio. (1) Abſq; dubitatione, inquit Ariſtotelem loquens, prodigium fuit ille, grandeque miraculum, cui penè videtur infuſum, quidquid naturaliter capax eſt genus humanum. probat probatiſſimus Aquinas: qui ariſtotelicæ inſtitutionis ſectator adeo tenax, & tam fidus interpres eſt, ut omnium judicio in eum Ariſtotelis anima demigraſſe videatur. probat, ut prorſus dicam, quantum eſt hominum cordatorum, eruditorum, illuſtrium, quibus ubivis ille eſt, fuit, eritquè in maximum honorem: & quibus ipſis intolerandæ ſtultitiæ foret, trifurciferos iſtos. non dicam, præferre, ſed vel minimo digito uſpiam conferre. Illud verò nihili ne faciendum eſt, quod ex una tantummodo Ariſtotelis ſecta nullus in Eccleſia peſtilens ſectarius irruperit? profectò ex ſtoica multi: multò plures ex platonica: ut non ſine æquiſſimo cordolio de Platone præſertim conqueſtus fuerit ille Tertullianus: doleo bona fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium

(1) *Ad Euſtoch. de vita Monach.*

tarium factum; atqui nullum hujusmodi dedecus in classe peripateticâ: nemo homo ex Aristotelis magisterio prava, impiaque sentiendi occasionem cæpit. Ergò cum tanta sit omnium in unum hunc conspiratio, consensus tam incredibilis animorum, æquum ne erit, Patres, in hoc eruditissimo senatu, apud vos ipsos, lumina sapientiæ, ignavissima capita tantum audere, sic moliri, ut vestris calculis ille circumueniatur, inscitiæ peragatur. dãnetur, proscribatur. & unà veluti miseræ miseri umbræ, quicunque sumus ab intimis: nisi procurari, expiarique velimus, palinodiam turpiter recinentes, & peripatetica, olim castra, nunc falsorum, & fallacium hominum conventicula, transfugæ publici deserentes? Parcite vos, Patres, si dolori ipse non parco: si loquor verbis publicis: si quid ultra reverentiam. Itane verò. sed hìc intercidit orationem satis importunè, qui sedebat è regione princeps homo, quantùm cadaverosa facies, corpus jam silicernium, & caput omnia omnibus annuens indicabat, ætatis affatim decrepitæ, vivensque jam ultra catalogum: is, inquam, ut sunt morosi senes, jam pridem pertæsus me dicentem, metuensque longè plura dicturum, nec desiturum cum illâ vehementi corporis, animique concitatione usque ad septem clepsydras, gestu primùm, mox verbis, ita tamen intus canentibus, & sese mutuò in ore illò edentulo suffocantibus, ut ægrè attentissimus audirẽ, hæc ad me tandem: Heus optimè, annus ferè jam est, ex quo dicis: & pro causa nihil dicis. ecquid ad justam criminum refutationem post tantam exornationem accedis? tum ipse: imò verò, ô ter maxime, jam olim accessi; nam hæc ipsa exornatio mea pro magnâ parte refutatio est. nempe eò spectat, ut intelligatis, Judices, quàm habere nefas deceat, virum, cui testimonium ingenij, similisquè prodigio sapientiæ dat

uni-

universus terrarum orbis: qui ubique cultarum gentiū literarum, literatorumque antistites ducitur, hunc, inquam, ipsum absolutum numeris omnibus damnare calculis omnibus, & qualem philosophum de gregariis inscitiæ ignominia norare. tamen ipsas demum tabulas, ipsumque totius criminationis fontem directè aggrediamur. quas certè ego tabulas mendaces, invidiosas, offertas puris putis calumniis pronuncio. neque enim, quæ violatæ veriraris cœca ab his testimonia producuntur, reum illum peragunt, nisi apud eos, qui de sua ipsorum privata re reum illum agunt. quapropter illud verissimè polliceor, Aristotelem, si is penitus inspiciatur, si nullo malo affectu in contrariam partem rapiatur, non inveniri uspiam peccasse ne ignarum quidem in eam, quæ à nobis Deo fides habenda est. hoc ajo in præsentia: hoc equis, velisquè defendo. vidi ad hæc statim mussitare Patres, alrerumque in alterum susurrare in aurem, deridentes, opinor, magnifica promissa mea. nam lapsus aliqui adeo manifesti, incoctiq; medullitus videbantur, ut neque ab audacissimo negari, neque elui, vel à bis septem undis possent. attamē nihil ipse commotus manifestaria illa alienarione concionis, confisus maximè æquitate partium mearum, ut mox exoravi vehementer judices, ne ante audientiam, neve antequam omnia pro virili dicerem, pronunciarent, hæc singillatim ad singula respondebam.

Postulant primum omnium Aristotelem immortalitatis negatæ nostris animis. sed quo indicio postulant? quo teste? quo, non dico, evidenti, sed salrem conjecturali constitutione causæ? ò incredibilem audaciam. impudentiam prædicandam. sic enim ista confingunt, tanquam si nulla in manibus essent monumenta literarum, undè liceat, in eos rem facere tabellis obsignatis, & tam sesquipedale mendacium ab ipsorum ore fundi.

funditus extorquere. negat hic immortalitatem. at per vestram fidem ubi negat? an ubi mentem, hoc est, rationis participem (1) animam negat à materia erui: sed in eam accedere affirmat extrinsecùs, & divinum quid esse? (2) an cum negat omnem animam addici organo, sive omnem perire corpore pereunte? (3) an cum docet, genus animæ esse, quod separari contingat, veluti perpetuum à corruptibili? (4) an demum cum verbis asserit expressis, animam vi intelligendi præditam corpori superstitem vivere? sed vos agite, Patres, & ab hoc uno tam liquidi mendacii judicio, quod sit futurum in cæteris criminibus præjudicium reputate. Nam quod consequitur proximè, nihilo fert minorem calumniam. quid ait? non providet rebus humanis Deus. ecce indicium, quod vel cæco apparet. Deum, inquit ipse, malorum curam habere non est fas. ergò, inquam nunc ego, si hoc est providentiam rerum humanarum denegare Deo, quod certè ter impium est: i tu, & rape in jus sacras literas, easque paris impietatis accersi, ut quæ non semel, aut iterum, aut tertiò, sed sæpissimè hanc sententiam alia hìc, alia ibi forma nobis ingerunt, inculcantquè. quid enim decantatum magis ex illis paginis, quàm longè ab impiis abesse Deum? projectos à Deo impios non agnosci, nesciri, negligi? itane verò, quod sacræ literæ millies verissimè narrant, non potuit semel Aristoteles dicere sine errore? namque nunc est illud: Quilibet alium judicat ex affectu suo. infenso infensa omnia, caro cara. nævus, si amas, venus est: si odisti, est nota; idemque dictum uni leporem, alteri perjurium sapit. perge. Divinitatem gerro iste exoculavit. qui potuit? ita sanè, exocula-

(1) *De Gener. Anim* c.3. (2) *l.* 1. *de Ani.* 15. (3) *l.* 2. *de An. t.* 22. (4) *l.* 12. *Metaph. t.* 17.

culavit; nam secum confixit, nihil uspiam Deo cæterà oculatissimo patere sub propria forma: tantùm sub certis quibusdam imaginibus, ut olim Persarum Tyranno (est ejusdem capitis commentum) qui, quæcunque per totam Asiam gerebantur, uno die, & uno speculo contemplabatur. Jam vereor, Patres, ne putetis, à corrupto quopiam prævaricatore, non ab iniquissimo calumniatore ad ostentationem aristotelicæ sapientiæ judicibus ista sapientissimis deferri. Enimverò quid potuisset magis theologicè dici, si ipsi vos theologiæ fastigia loqueremini? Opinio vestra est, & ipsa celeberrima, Deum res omnes, ut exemplaria sui vultus, curta quãlibet, & plus nimiò restricta, in ipso se, tanquam in genitiva, expressàque omnium forma contemplari. quæ quidem & si vos jure mysterii loco habetis, patuere tamen ei, cui divinitas, quantum homini intra hominem potest, patuit tota. sed non tota, reclamant. non enim patuit, Deum ubique locorum esse. nec est, quod hũc errorem ejures: configit nimirum ipse se; ipsius quippe vox, an vecordia illa est? Deus in summo cæli celerrimè rotati fastigio secum habitat. Benè est, si abnegat is ex hoc uno locorum immensitatem Deo, quid tũ nos, qui inter quotidianas preces hanc eandem, ut isti ajũnt, vecordiam proœmii loco recitamus, cum Deum, nostrum omnium Patrem dicimus esse in cælis? prò lõgos amentes, quos studium lædendi sic transversos agit, ut eodem tempore aliis exprobrent, quæ probant sibi. ergò ad graviora veniamus. Universitatem hanc à Deo creatam inscitè negavit. verum est, succlamat ex tempore quidam Theologus loco proximus mihi. verum est. ictum exire non potes. negavit. non potes de more tuo inficiari. & quò se conventui eruditulum probaret, statim appellavit locum ex Physicis, in quo cælum negatur ortum uspiam fuisse, aut posse corrumpi. tunc ego

paca-

pacatus in illum cum tot turbis intercalantem intuens, odiosèque subridens: ecquid, bone vir, studuisti ne tu ajo, physicis disciplinis? studui, inquit apprimè indignatus interrogatiunculam illam minus, ut putavit, sibi decoram: studui, & faxo, ut discas malo tuo, quàm in iis præclarè profecerim. rursus ego: ne dole, quæso te; non enim dixi morsurus. imò te habeo in paucis physicum optimum. quanquam exceptio illa tua, præfatus honorem dico, malè indicat. quis enim verò, modò non sit hospes omnino, aut truncus in ea facultate, ignorat, multùm interesse inter oriri, & creari: ut facilè possit aliquid creari, & non oriri? itaque cælum non ortum, & cælum non creatum consequentia non sunt. quid tu tandem? ain? sed ille improvisa, satisquè apposita divisione turbatus conticuit, & modestè circùm à corona exibilatus est. hinc restaurante iram probro, omissa illa velitatione, ter tantò acrior ostendit post proximè totam aciem, difficilioremque dedit pugnam. namq; statim excepit: ut ut hæc habeant, & philosophus iste tuus (quod mihi certè non suasisti) mundum creatum, non ortum agnoverit: quid subdolè taces illud insuper, quod eundem ineptissimè habuit coævum æternitati? perfrica nunc frontem, & huic quoque excellentissimæ ignorantiæ palpator. hæc ex physicis didici. tu homo sapientissimus solve nunc istum herculeum nodum. & cum hæc diceret, se circumcirca cum quodam triumpho versabat: quasi jam me improviso illo laqueo strangulasset, ad universos proceres festivis oculis annictabat. tunc enimverò exarsit egregiè mihi in venis bilis splendida, movitque stomachum omnem cùm linguacis illius ineptum tripudium, tum etiam, & multò magis inclinatio, quam maximam ex calumnia illa vulgò credita jam causa fecerat. obnitor igitur toto corpore, & succenturiato illi accusatori συνδε-

δε-

δοεῖ, ἢ σὺν ἀσπίδι, ut dicitur, præsentem me objiciens, ne istum, inquam, herculeum nodum tuum ficulneus abundè gladius, me vide, dissecabit. tum inurbanum illum mittens, hæc ad reliquos habeo. Ergò quænam superat, Patres, accusatori fiducia: quando liceat mihi (tantùm velim) & ipsum hoc manubrium, cui summo fidit opere, eripere ipsi de manibus; &, quod consequens est, totam hanc accusationem quasi vento folia diflare? illud tamen rogo, etiã postulo, ne fraudi sit cõmunis de tali errore error. fuit, non ibo inficias, aliqua suspicandi occasio facta, sed unis illis, qui legunt aliena negligenter: vel ut observent, rapiantque unumquodque dictum in pejorem partem. sic primò hujus calumniæ rumor ortus: mox (ut est multitudo, uno oscitante cuncti oscitant) jam Aristoteles vulgò habitus inter confessos reos. quocirca nunc, ut etiam sæpè venit usus, laboramus magis fama, quàm facto. falluntur ergò ipsi, qui de mundi æternitate disputantem Aristotelem falsum putant. nego quippe persuasisse sibi illam tam crassam insaniam, ut mundum æternum crederet. miramini negantem? nolite. nego negare doctus, & non equidem doctus à triobolari aliquo doctore, verùm à doctissimo; à defæcatioris doctrinæ medulla, à magno magistro, ab ipso (jam anticipastis animo) D. Thoma, nec in una aliqua ex operculis succesivis, fortasse non ita sedulò incudi redditis: sed in eo, quod est elaboratissimum corpus angelicæ doctrinæ, in ipsa summa. Deus immortalis. vultis amplius? iste tantus vir, in isto loco, prudens ac sciens, disertis verbis, literis uncialibus (si talis homo nugatur: si insanit, judicatote vos) negat, pernegat, & si quòd ampliùs est pronunciatum ab Aristotele mundum æternum: quod æqualem æternitati mundum crederet; sed strenuè contradicturo philosophis

coæ-

cogvis suis, qui non modò mundum incepisse, sed modis incepisse absurdissimis prædicabant. creditis tanto viro? ita opinor. sed tamen ne se iste restauret, canatque iterum miseram victoriam: quòd sola authoritate eblanditus suffragium fuerim, ecce unam ex tribus, quas vestigavit Angelicus, conjecturam insuperabilem. qua parte Aristoteles disputat topica, docet inter multa esse quædam problemata, omni ratione, qua conficiantur, destituta dictumque conferens. in exemplum, velut, inquit, Num mundus fuerit æternus? quid hoc testimonio illustrius? quid evidentius? an verò arbitrari liceat, hominem vel in manifestissimis dubitare solitum, nulla ullatenus apparente causa tantum errorem obstinavisse? mirum quantum probata tunc Patribus est isthæc breviuscula, sed succi plena defensio. quare cum properare vellem ad residua expostulationis capita, uno omnium ore inhibitus sum, tanquã qui in hac postrema difficilioris criminis purgatione tam strenuè, sedulòque fecerim, ut nihil ultra pro reliquis & paucis, & multò facilioribus addendum videretur.

Ergò statim de tabellarię legis ritu itum est in suffragia. superis gratiæ, alba omnia. adjudicata mihi punctis omnibus suffragiorum lis est: quodquè verè putavi palmarium, & undè Peripateticos hìc nostros ita devinxisse omnes, ut, quod nihil reddant, nos unicè ament, restitutus abundè suus Aristoteli honor, sancitumquè, ut posthac non modo Aristotelici à Theologia non ablegarentur, sed etiam nullus non Aristotelicus ad Theologiam allegaretur. tum extemplo cancellatæ maculosæ tabulę: interdictum rescissum: confirmatus meus mihi gradus cum illo corollario; nam ne novus quispiam cavillator experiri mihi jus, mequè deinceps flagitare in pari causa auderet, Patres de ipsorum benigni-

nignitate omnes hujusmodi actiones inter exemptas judicarunt. atque in hunc modum tot criminum, & causarum coacervationes, tantus Judicum, & judiciorum apparatus, tam solerter à sedulis cavillatoribus compositæ technæ, ut currere me oportuerit per hastæ cuspidem, contra adversariorum fiduciam tandem subventaneum pepererunt. Sed cum exinde successum omnem ruminor attentiùs, rideoque, deploroque mecum, quàm indignè vel gigantum fraterculo liceat involare proborum in oculos, famamquè infuscare calumniis, quatenus collibuerit: cum, inquam, hæc recolo, ut nasci solet de consilio consilium, mens illa mihi commodùm iniecta est: si censura est ærumna tam communis, ut nemo se illi excipiat, casurum profectò ad pedem, & opportunissimè, quotidianam prælectionē meo jam malo affatim prudentem dare me hoc anno de Censuris in communi. sic ad omnes nostra uno tempore institutio pertineret, cum nemo sit homo liber à censura, vel quam faciat, vel quam ferat. enim verò quemadmodum nullus agit sine vitio, & nullus ad libellam adeo exactam conformat se, ut structura post longum tempus ventrem, aut saltem rimulam alicubi aliquam non faciat: ita quilibet est talis, ut suam in tergo manticam non considerans, utrumque oculum inijciat in eam, quam habet coram, aliorum. arrisit ergò consilium: prorsus sedit. agam hoc anno de Censuris in communi. quanquam vos præripientes magisterium meum, jam affatim puto egisse censuras in particulari de me, qui multa, & mala cum dixerim, dicendi finem nondum facio. corrigo me statim: facio finem: ut, si minus quæ dixi, placuere, hoc saltem vobis placeat, quod Dixi.

E Ini-

Initurus in Gymnasio Neapolitano Societatis Iesu,

Sancta Scripturæ magisterium ejusdem studia commendat.

PROLVSIO II.

ETsi suum cuique pulcrum, atque unicè mirandum: etsi nihil magis est cordi, quàm quod est curæ; tamen ipse (sic sum natura) non sum equidem ambitiosus in mercibus meis: nec locum hunc quà volens, quà nolens tandem appuli, ducturus ex eo velut in triumphum artem meam, prænobilem illam quamvis, & ex asse divinam. Prçlector toto ipso die semihorarius(præterquamquod manipularis ipse per me doctor, & unus de multis) in re, ac supellectili tam curta ridendus procul dubio forem, si in ipso statim principio meæ institutionis, phaleratus nec in tempore orator speciem, ac pompam cum cura quærerem. sufficient pauca de plano dicta, nec tantùm pauca, quantum & mala, & malè tornata; à foco quippe, ac folle recentissima, ferventiaque etiam nunc adeo, ut ea recipere, ac tenere resiliens à tactu memoria negaverit, incudi ad castigatiorem reddi operam nequivere. malui tamen multò, præfatiunculam istam, utcumque impolitam, parum factam, & jure Antonio, bonaque vestra gratia de scripto dicendam adhibere, quàm id pensi omnino negligere: cùm ne prisci moris insolens primo ipso actu, prima acceptæ præfecturæ die, videar non fecisse officium meum

meum, illis acriùs reprehensuris hoc prætermissum, qui mox malè accuratum carpent fato ne, an vitio volubilitatis humanæ, qua neglectam operam reposcimus, redditam fastidimus: tum maximè ut prostratis, afflictisq; per summam injuriam sanctissimis studiis feram opem, quam possum. Ita ne verò inclinasse nos à temporibus illis, quibus sanctos libros habere ad manus, voluere, ac revoluere horis omnibus, cum his diem, cum his noctem vel multam trahere, his demum urgente somno indormire: illos per viam comites, illos in convivio pro conviva, illos in culcitra somni admissionales habere, nusquam denique sine illis esse, sic erat omnium, ut sola numerositas displiceret? quis crederet arsisse olim sanctarum literarũ studio vel ipsas dementatas anus, & in modum adeo efferatum, ut supra sexum, & ætatem utriusque testamenti tabulas ore verè testamentario blaterarent? sed quid ego veteres avias? nostræ hujus ætatis femellæ triobolares apud correptas hæresi terras, spurcissimorum nebulonũ maleficio scripturas vernacula redditas, declamant: quod quàm fit pessimè, tam facit optimè ad fodiendam socordiam nostram, qui fidem gloriantes, fidei monumenta nescimus: interdum etiam posthabemus, occupato studio per libellulos, scelerum lernam omnium, domestica lupanaria, in quibus vacui à curis adolescentes optimi, non, ut ipsi putant, unam horam, sed integræ præter hanc adolescentiæ spem, sed ætatem omnem fallunt. hinc lacrymæ illę, quo tempore secũdùm morem scriptura prælegitur, infrequens palęstra, subsellia sola, auditor penè sine numero, aut tantus, qui Meletidi numeranti vix sufficiat. accedit ad corollarium dolorum, quod ex paucissimis, qui adsunt, absunt quàm plurimi: ἔνϰον; οὐϰ ἔνϰον: simulacra corpo-

rum fixa, peregrinæ mentes: ut, quod miſerum eſt divinas literas prælegenti tibi canendum toto anno ſit, aut ſurdis, aut nullis. Et incoxit, inolevitque vetuſtas inertiam hanc imis oſſibus: ut nullus etſi conſummatus orator, cui Linguæ centum ſint, oraq; centum, Aurea vox, rẽ reſti tueret in integrũ, quãvis orationẽ uſq; ad ſeptẽ clepſydras peroraret. Inertia malum, ut flamma: naſcentem leniſſima aura necat, adultã cõcitatiſſima nutrit. Interea loci quãlibet vix ſperẽ ipſe pro rei magnitudine non ſatis inſtructus, fore, ut moveam lapidẽ tam fixum, aut cogam loco cedere inertiam adeo ſtatariam; experiar tamen, quid poſſit ſimplex citra calamiſtrum veritas. qualiſcunque certè ero, frigidus, aut vehemens orator, non is ero, ut obeam ad morbi adulationem oras vulneris. mergam ſcalpellum altiùs, ſcindamque gangrænam hanc uſque ad vivum, vel ut ſocordes iſti ex morbo convaleſcant: vel ſi nolint, noluiſſe ſe doleant.

Ergò omnes tales, qui ſtudia noſtra abſtinent, divinaſque literas fugiunt perinde, ut Plauti literam longam, in duas claſſes diſcedere jubeo. alteram implent ſupra omnia deſides, otio authorati à lacte primo, laboris, curæque omnis impatientes: alteram contra ſtrenui, ingenio multùm acres, laboris nedum patientes, etiam cupidi. illi in divinarum literarum ſtudio excuſant multum laborem: hi ex contrario nullum. gnavi metuunt, ne perdant operam: ignavi, ne perdantur ab opera. ita ſcopum eundem ex diverſo ferientes, eandẽ rem adeo adverſis opinionibus diſtrahunt. tantum ſcilicet momentum in æſtimando habet privata propenſio, coloremque rebus æquè facit lux, ac libido. Sed quos dixi ignavia onuſtos, à laboris umbra duobus, ut ajunt, pedibus fugientes, tanquam ſuomet ipſorum indi-

(1) *Ex Ariſtoph.*

indicio convictos, damnatosq; abundè apud vos, ignaviæ censores acerrimos, facilè transeo; & qui non trāsirem, si, quod nullus de isto globo præsens mihi adest, summopere gaudeo? nam si quis antea scabiem illam pessimam pruriens in otii sinu magnarum rerum cura posthabita turpiter senescebat: is, opinor, hesterna luce à copiosissima, atque ornatissima oratione supra solitum excussus, agitatusque modis omnibus, ignaviam solenni formula ejuravit. His itaque præteritis totum orationis corpus in eos converto, quibus ad speciem honestior est causa flagitii. & fidunt isti adeo causæ suæ, ut occupato judicio ipsi se potius in nos statuāt actores, quàm à nobis reos se statui patiantur: ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα. Ergò audacissima criminis derivatione exaggerant in nos, ac studia nostra, quotquot sunt nomina ignaviæ. nos otiari totum ipsum diem sub umbra negotii: nos verè inglorios trahere latam aluum: nos nihil agere; omnia quippe hic plana: omnia citra arationem, & sementem: sine corticè nucleus, etiamsi obscurus, intricatusque aliquis aliquando torqueat locus; nam sunt adeo differta cuncta commentariis, & exegesibus sapientissimorum virorum, ut res penè dormienti conficiatur. ecquid se industrios, se ingeniosos, se prope de Jovis medulla natos includi patiantur hoc ludo? nempe hoc est scire, texere parenchireses: ut maximè; adjectis detractisque paucis comparare sibi scurrilem laudem insulsi illius gerronis, putantis se in sculptura aliquem: quòd Phidiæ Minervam dedisset ipse elegantiùs calceatam. Scripturæ morem instruunt, non mentem acuunt: ad sanctitatem, non ad sapientiam informant. cordi sibi esse non modicas istas, ac penè pueriles exercitationes, sed alias oppidò laboriosas, magnificas, & ingenti dignas crista. negotium ipsos quærere, non otium: non plumam, sed pugnam: ad

circum, non ad culcitram provocare. Hæc linguaces isti, has milites gloriosi partim calumnias, partim cavillationes, partim etiam contumelias, quas modò repercutere animus est: & quò quàm brevissimè, absolutèque, placet ex Augustino expressam imaginem sacri interpretis principiò proponere, non suppparis mihi, qui ago id negotii tanquam necessarium malum, sed prorsus quadrati, quemque sui omnes absolvant numeri. in illam intueantur, ut videant iniqua causarum suarum machinamenta puncto ociùs dissilari; quanquam haud facilè, vix unquam plenè calumnia eraditur: hoc sedet altiùs, quò sedit iniquiùs, prono æquè homine in mala, quæ faciat, & quæ credat. sed attendite. Interpres divinarum literarum de Augustini sententia tãtum ingenii, tantum solertię in numerato habeat, ut nulla sit ars, in quam non se totum infuderit. hoc velut in summa. omnes igitur percurrerit artes à minima usque ad maximam. grammaticam eat præ, nec una tantùm, sed, ut minimum, triplex ex triplici lingua principe, Hebræa, Græca, & Latina. tum Rhetoricis cultus dialecticas subtilitates, & omnes propè Philosophiæ, ac Theologiæ venas exploraverit. non desit, quæ moris, non quæ juris, non quę communitatis peritia est. ex Mathematicis Geometriam maximè, Astronomiam aliquantulum, nonnihil Musicam, Architecturam plurimùm condiscat. quid Chronologiam, & præteritorum temporum spatia? istæc profectò mittat oportet in digitos: undè, quo ordine dividantur? quæ ante cataclysmum, quæ post hunc? in quę Abraham, in quæ regnum Davidicum incidit. qua æra, seu qui A.Er.A. cum salutis humanæ fundamenta jacta? & his alia paria. Præter hæc probè tenendum est eidẽ, consultissimo in paucis naturæ, quod cujusque rei ingenium insitum, agnata potestas, sequax propensio.
hoc

hoc in plantis, hoc in herbis, hoc in lapidibus, hoc ipsum, & in gemmis curiosè conquirendum. pateat ipsi uno verbo tota naturæ supellex, & quàm multa est ubi ubi locorum, ac gentium. eat per sacras, profanasque historias: harum scriptorum principes quàmvis ethnicos consulat. quid ego plura? homo sit non, inquam duodecim, sed universarum artium: non unam, aut alteram disciplinam, sed prorsus encyclopædiam totam voraverit. nihil quippe est (quod certè minus venit in reliquarum rerum scientiis) nihil, inquam, est scitu dignum, quod exposituro divinas literas usui uspiam non fuerit. hem creditis? credite: nam secus faxo, ut malo vestro credatis. si singula conferam ad exempla, fiam toto longior anno. quanquam ipse non mihi quæro vestram fidem. est, qui suam oppignerat hominum apex Augustinus. ubi nunc blaterones illi? quæ nobis otia, quam ignaviam objectabant? hoccine oscitari est? hoccine aluum trahere? hoccine vivere segnem vitam, cum ne sit vivere quidem? Quem virum sanè herculeũ, ferreumque tantarum rerum inquisitio poscit? tot poscunt adversis frontibus luctantia studia? tam à distanti dissitoquè loco veniens sapientia? An diffluxit otio Hieronymus junctis in sinum manibus, cum, quantũ fuit annorum, in scripturarum lectione consumpsit? an discinctus, an iners, quem modò laudavi, Augustinus, qui in earundem gremio deposuit mentem, ac mentũ? quid alii, quotquot sunt catholici senatus Patres, à teneris annis inter sancta volumina innutriti: num bonæ mentis, operæque pretium ad ignavas artes, ad homine supino dignas nugas profuderunt? Non eò dico, quò jactem me in arena mea. quivis ingenuus rerum æstimator, modò album & nigrum noverit, hoc fatebitur: qui scilicet alii alias disciplinas addiscunt, intra unius suæ fines exerciti perveniũt ad summam lineam;

ista, quam profiteor, ferè una est, quæ omnium est instar; vectigale sibi fecit, quantnm possidet sapientia.

At, inquies, non est impræsentiarum eadem negotii alea. exegeticæ doctissimorum virorum meditationes tam multæ, tam amplæ viam explanarunt. Et verò maximè explanarunt: quis hoc abnuat? sed quid tum postea? an verò nullus extremis nobis, ut primis illis, inquirendi locus, nulla inveniendi laus superabit? næ isti nos credunt semper infantes, ut nihil sine nutricis saliva imbibamus. seriùs ociùs dentimus aliquando, perque nos ipsos cibum capimus, & nutrimur nec putent exhausta jam omnino omnia majorum sedulitate. ut multa sunt ab ipsis dicta: ut multa ab aliis dicentur, multò semper plura à minoribus erunt dicenda. sanctæ literæ fodinæ sunt, eæque fæcundissimæ: perquiri possunt, hauriri possunt, exhauriri non possunt. unicuique, modò is perspicax, cultus ingenio, æqua rerũ cognitione instructus sit, etiam nunc, olim, quocunquè tempore licebit exculpere à sacris paginis novos intellectus, sensusque investigare ab aliis intactos adeo capax puteus est, de quo haurimus: adeo angusta, qua haurimus, est situla

Quanquam si prorsus præter illorum dicta nihil dicendum foret: si totus noster actus pura derivatio esset à fonte, aut ad texellatum opus sententiarum aliunde convectarum apta digestio: nego vel hoc non esse rem: negocujuslibet fortunæ ingenio quadrare. hominem hic quoque valentem, integrisque animi viribus posco; quippe non inopia dumtaxat, etiam aliquando copia inopem facit. mentior? non ego certè. sententias tam multas legere, tam varias, tam dispares, tam secum aberrantes, nec turbari uspiam, aut opprimi, sed potiùs descendere ad fibras ultimas singularum, easque donare calculo suo, castigare audaces, reptantes extolle-

tollere, indecoras transire, omnes emedullare: hoc unũ ipsum, si nihil aliud, flos est ingenii, & defæcatæ medulla sapientiæ. porrò quantum est, nosse, quæ sit sententia nitida, quæ nubila: quæ sequens, quæ coacta: quæ fida, quæ fallax: quæ tuta, quæ præceps: quæ confragosa, quæ plana: quæ casui proxima, quæ secura. ubi multæ veris similes, quæ potior, & acu rem tangens, quæ magis consequens, quæ popularis, magisq; placitura? quantum etiam est has ipsas, habito optimarum delectu, cum quodam artis lenocinio ad aliam formam componere, & veluti confundere in unum saporem: ut, etiam si apparuerit, undè massa illa sumpta est, aliud tamen, quàm undè sumpta est, esse appareat? hæc profectò omnia, non præstabit fungus, aut Abderitanus quispiam, sed tantùm homo, & cui serpentis oculos Natura dederit. Miramur profectò animulas, quasi mente conceptas, apes dico: miramur, prodigioque finitimum judicamus, cum

Pars intra septa domorum
Narcissi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina. deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare ceras.

at in opere tam mirabili, quid suum apicularũ est præter opificium? commosim, pissoceron, propolim, quæ favos fundant, aut defendunt, ceram ipsam, mella, & quantum ibi materiæ dispensatur, alienum est. ex florum lacrymis, ex gummi arborum laboriosè conquisitum, studioseque selectum in alveare comportatur. verùm hæc ipsa non sua labor facit, cum ex his aliud facit. adeo verum est, artem non in re, sed in usu esse. Ergò desinant causari exercitationes nostras ut vacuorum, & inanium. sciant, nobis quoque eundum per extentũ funem:

(1) 4. *Georgic.*

funem: exudandam vitæ medullam ipsam. sin minus dicenti mihi fidem habent: vel ipsi veniant, quodque facillimum est, accipiant rei gustum. succumbent, mihi credant, oneri succumbent, ac tandem emendabunt repręsentationem illam, quam sibi impressere falsam, viæ tritę, planę, ac prorsus prætoriæ.

Sed fac non iniquè ista eos credidisse, ac nobis omnia esse in expedito; tamen iniquissimè crediderunt, consequi illud, quod ab his studiis abstinenda sint magna ingenia. enimverò qui studia nostra facilia ajunt, iidem, nisi frontones fuerint, nisi catholicæ pietatis instinctum omnem extinxerint, futilia, aut inutilia esse negant: & meritò negant; offertissimam quippe hæreditatem, quæ jure rati testamenti nobis venit à Deo, scribente nos ipsos sui assis hæredes solidos, hanc, inquam, hæreditatem ex obsignatis summa fide tabulis sanctissima studia dant liquidò cognoscendam, ne supina ignorantia faciat exhæredes. si ad hæc involandã, ut prædicant, vix movendus est digitus, bona fortuna per se influente in sinũ: si hæreditas sine sacris est obeũda: si opes, si summæ ex omni re divitiæ sponte repræsentantur, quæ par huic dici potest insania, ut minimò hæc habeas, quia minimo habentur? ecquis margaritam calcat: quòd ante pedes? ecquis non recipit, recipit, inquam? non rapit aurum de terra: quia jacet in terra? non omnis facilitas ignavia est: interdum est felicitas; nec in labore est pretium, nisi cum pro pretio est labor. hunc necessitas sola commendat: citra hanc nihil illo gravius est, atque odiosius. an Deum sine laude æstimamus, quia sine labore? Præterquamquod si animum offirmarunt, ut credant, in suo tantùm negotio se esse actuosos, in nostro prorsus languere, ac nihil agere; hoc ipsum uberrimè persuadet, ut otii nostri faciant sibi aliquando gratiam. intento semper fune vi-

vere

vere est laxo semper fune esse victurum. ergò apud nos intentum retendant arcum: frontem hic exporrigant: gerant ex nostro, curas otio conterminas, otium curis; nã, ut optimè ajebat ille, (1) jucũdissima est navigatio juxta terram, ambulatio juxta mare.

Quæ cum ita sint, suffragiumque nobis omnia ferãt; si divinarum literarum studia, vetus nostrorum, recẽsque exterorum exemplum, si arduitas operis, laborque laudis tessera, si fructus plurimus, si cuncta commendant; quid est, cur ingeniosi juvenes, jam tantis studiis maturi suum ipsi calculum album non addunt? adhuc nigrum θ' hæret in manibus. negant, pernegant, quod suaserim, etiam si persuaserim. at, oro vos, si qui præsentes estis, cogitate per vestram fidem, quàm pulcram vobis, quàm vestræ dignitati consonam, quàm salutarem Christianæ Reip. operam negligitis. si quo tempore nos sacra volumina digerimus ex hoc loco, vos alia alibi moliremini, nullus fortasse accusarem incuriam vestram. sed plerunquè eo ipso tempore ab omni actione vos vacui, vel depellitis domi muscas: vel in foro inter coronas æqualium confabulantes aut narratis, aut narramini. non hortor ego, ut carissima studia vestra, vestras mensas lautissimas deseratis: sed enimvero ut non fastidiatis, identidem apud nos salem lingere, ac descendere ad disciplinam jure suo maximã, suffragio vestro tantùm non extremam. Proh Deum immortalem! ut veritatis hostes sedeant ad castra veritatis, defensores, extra vallum, ignoti, nec, quod minimum, inquilini? truncus doleret, & puderet stipitem inversi hujus, lacrymosique moris divinorum librorum studia florere inter eos, qui fidem evertunt: inter eos, qui fidem colunt, vix esse? en agite aliquando, corrigite tantam perversitatem: tantum dedecus per vestram fidem eluite; juvat, decet, etiam oportet. Sed, ut video,

(1) *Plut. in Symp.*

deo, actum agimus, canimusque ad fractam. ipse cõmoveor totus: isti ne latum quidem unguem, sedentq; ut a principio in contraria hæresi tanquam lapides terminales: quod ipsis tandem benè: mihi certè non multùm malè vertet. equidem pro meo, qui est erga sanctissimam disciplinam & amore, & nomine, jam exhibui, quod potui: jam exsolvi, quod debui. Reliquum est, ut istam ipsam palæstræ solitudinem, veluti circa literariũ forum perpetua Halcedonia!, penè divina virgula factam arbitrer mihi, cui ab implacabilibus, & nũquam componendis Peripati clamoribus aures his ipsis tandiu accommodatæ obsurduerant. docebimus deinde, quod beatum est, oleo tranquilliores, sine turba, & sine turbis. Et jam manum de tabula, de qua multo ante quartum nec dum postremum prolusorem decuisset. sed is certè non potuit brevior esse, cui ad scribendum tam breve tempus fuit. dixi.

Phi-

Philoſophiam poſt tradita Rhetorica docturus, diſputat,

Num iſta diſciplinarum in eodem varietas conducat, an vero rei literariæ fraudi ſit.

PROLVSIO III.

VIx, ut credo, tetigi locum hunc: vix apparui, cum illa de me ante pedes interrogatio: Heus homo, cujas es? quam tu demum artem? modò in ſacello muſarum: jam partibus mutatis in Philoſophorum palæſtra, Rhetor ne an Philoſophus? an, ut eſt credibilius, neuter homo? Itane verò liceat tibi, perreptare artes, nec in una te exercere, quam noveris? atqui proverbiũ monet: quam quiſque norit artem, in ea ſe exerceat. eja, novimus ludum. næ tu de te ipſo indicio malo es, quandoquidem in tua illa non diu multùm hæſiſti, malè geſtæ rei conſcientiam afferre. Hæc ſtatim aliquis quaſi me conſalutans, & fortaſſis non omnino ille præter æquum & bonum; nam, ut planè fatear, qui me ita carpit, nec omnia, nec nihil dicit. ex una enim parte, qui non eſt, quantus Cato, cujus ingenium adeo fuit verſatile, ut natum ad id unum diceres, quod ageret, huic ſanè non permittitur, doctorem velitem agere, & officinas artium indiſcriminatim uſque circumire; ex altera verò parte, qui jubet, homines lapideſcere: ut nemini liberum ſit, extra unam artem ſuam non modò non efferre paſſum; verùm etiam ne miſeram quidem oris reſpirationem effundere, is profectò mitiùs

cum

tum iisdem ageret, si jugularet. Ergo age, quandoquidem hujus argumenti occasio mihi fit de meo, scilicet pro isto levissimo, & omnino pedestri genere dicendi, quod tanquam solenne quisque nostrum prælecturus usurpat, coniiciamus, si vobis placet, utrum commendabilius, utrum, quod magis facit rem, sedere ne unumquemque perdium ac pernoctem in eadem usque disciplina, oculosque ad unum unicè intendere, an verò contra instar molæ trusatilis versari continenter, ingenio ad plura liberrimè diffuso? Quam ego litem, si ut est captus meus, senator planè pedarius essem diiudicaturus, in neutram propositarum partium irem utroque pede: sed probans, improbansque singulas ex parte, dividuum facerem. etenim illa duo, tametsi in uno eodemque vitio non sunt, ambo tamen mihi videntur extrema, ambo prorsus declinanda. quippe primũ postulat hominem cujusdam modi, qui nempe inter stoicos sit, penè dixerim, stoicissimus: alterum, hominem prodit ventorum indice leviorem. medium ergò, qui virtutis perpetuus est locus, sine fraude sequendum esse pronuncio: Quæ mea complexio, si rectè quidem conieci, per se apparet; nam si pluribus acervatim, ac sine delectu operari nemo debet: uni usquè tantummodò nemo potest; sequitur evidenter, operam solidam, & lautam uni ulli disciplinæ tribuendam: pluribus, interpositam, ac veluti frustulentam non esse negandam.

Et verò quàm sit noxium addiscendi natare ingenio: ut firmi nihil habeat, nihil sibi proponat in unum scopum, nemo homo, tantùm si est homo, non videt. Quid enim pensi recipias accurandum ab eo, qui se in nullam non irruit disciplinam? quive itidem ac magnus aliquis ardelio dat se omnia? dat se Rhetorem, Dialecticum, Philosophum, Causidicum, Medicum, Theologum, quem non? at illud est verbum in omnium ore tritissimũ:

Dum

Dum complecteris multa, pauca vix tenes. Ecce tibi studet cordatus adolescens. Superis gratia; quid ni? an est quippiam aliud in adolescente optabilius? sed cuinam studet? putatote, Maroni, Flacco, aliive cuipiam de globo Poëtarum. benè est; congruit ætati. Quid istuc? tam citò perlectum? eja perlectum: vix & ne vix quidem lectum. sed certè tantulum istuc satis est. Modicum poëtæ ne noceat. perge porrò ad Oratorem. Oh istæc est res. hìc enimverò hærebimus benè longum diē. scilicet. in proëmii pagella una jam oscitatum est septies. eho ut prolixè! ut infinite! si quidem orator iste perorasset ad clepsydram, Danubium exhausisset. quot superant usque ad ἐσχατοκώλιον pagellæ? Deus bone. multæ adhuc post multas. ecce bilem in nasum per meā fidem, dum ista una oratio legitur, annus platonicus est. in malam rem orator tam sempiternus. Da Philosophum: da Aristotelem ipsum: non hercle ipsum, ipsum; solet enim is uti literis valdè interioribus. cedo potius quemlibet styli dilutioris. quid tum? voluit, revoluit sexcentos; omnes una hora, vel etiam minus, quàm ista. recta hinc ad mathematica curritur. vah meum oblivium magnum! usque eò scilicet cessavit radiolus noster. non sum homo, nisi hodie sordeo aliquantisper in pulvere mathematico. hoc agit: in pulvere mathematico sordet lautissimè. tum repente ad alia: & ex aliis ad alia; postremò quia tot alia non suppetunt, redit ad caput, ad ea scilicet, quæ primo loco fastidierat; atque in istum, nisi fortè in multò instabiliorem modum erro obscurissimus, singularum capita disciplinarum, tanquam sacras cæremonias summo digito contingens, putat jam se demum esse factum hominem duodecim artium. Sed ingenium & stomachus eodem navigant. stomachus ingestis supra fas ferculis non ille nutrimentum, talem

corpo-

corpori: ingenium exaggeratis sine more, ac modo studiis non animo sapientiam, sed vesaniam creat. Nihil est sanè, cur lactemus nosipsos. nimis curta, nimis restricta res est animus noster. tantùm concupiscimus infinitè; præstamus autem vix, quæ sunt ante pedes. At ego sum gallinæ filius albæ: sum omnino ingeniosus in paucis. credo. quid tum postea? ingenium habeo: prò quantum! superas enimverò ipsum Salomonem. attamen cum isto tanto, tamque mirifico ingenio tuo es, ut maximè, ita homo tu, quemadmodum sunt optimi quique. sed optimi quique posse omnia non audent. quinam ergo te unum crediderim, tam cādidis ovis natum, ut possis, quæ nemo optimus, omnia? Apage, amabo te, consarcinatam istam sapientiam tuam; in tempore, mihi crede, non rectè procedet. sapientia enim præter modum ipsa est insipientia supra modum. Palladem, quam tibi proposuisti devorandam, quid, aviculam nequampiam, uni bolo commodam credidisti? mane; est enim una quedam virgo, bene rotunda, corpulentior, staturaque majuscula fortasse plus justo: tu inconsultus velis. tantam Virginem, hasta amplius, atque ægide obarmatam magis expeditè, quā ovi luteum, sorbere præcipitāter? si superis placet, præfocabere. ecce ergo tibi consilium amicum. vis scire multùm: cave multa. proficere vis ad summam: intendito ad unum; & secundum hæc, si te non piget facere de sēsu meo, cave, cave, sequaris Circumcelliones quosdā (nisi enim de istis dico seorsum hæc pauca, planè rumpor) qui ex omnigenis disciplinis triplices, quintuplicesque sibi coacervant: centum eodem die Doctores audiunt; sed quo demum fructu? quo par est sanè. Nam post multos annos verè sumptos post labores innumerabiles male fœneratos, boni adolescentes nihilo doctiores, quàm cum nihil sciebant, excedunt demum ex

scho-

ſcholis ita, ut ad eas primùm acceſſere, charta pura.

Et iſti quidem omnia ſimul: non multò aliter illi,qui omnia ſtatim perdiſcere autumant. illi perdunt ingenium, quia diſſipant: iſti, quia præcipitant; verbi gratia Grammaticam, quemadmodum amariores pilulas, tractim deglutiunt. Rhetoricam devorant ad tres dies, aut non multò ampliùs. logicam tribus verbis. quid quæris? Quidquid alius vir benè ſedulus, vix ſibi patientia longa, tenaci ſtudio, largiſquè ſudoribus per plures annos comparavit, id iſti totum, quamdiu ſit anhelitus unus, una palpebrarum reciprocatio, callidè involant: ſed ne capiunt quidem; etenim quid hominũ eſſe creditis, iſtos montes, & iſta maria pollicentes? ſtatuæ verveceæ, literatores peſſimi, quorum adhuc loris crura bellè variarent, qui grammaticam etiam num crudam eructant, iſti ipſi perarrogãter invadunt in majores diſciplinas, nominatim, neſcio quo iſtius miſeræ fato malo, in Dialecticam, in cujus deinde ſchola, videre eſt, ſi quid ex more prælegit magiſter, videre,inquam, eſt, commanipulones iſtos attonitos, vix apud ſe, truncum ſuper lignum ſeſſitantes: quoad edocti, ratiunculas ſuas perperam ſubduxiſſe ab initio,& implexiſſimam illam artem non eſſe ſibi angiportum perviũ, demiſſis auriculis ſeparatim diffluunt:& vel omni ſchola abjurata, quàm mox ſint grandiores & benè valentes, eunt militatum: vel ſi remedium ſub manu fuerit, regreſſu poſt progreſſum ſubturpiculo quidem, ſed certè neceſſario, peſſum eunt illò, undè intempeſtivi diſceſſerant ad ſyntaxim, redeuntque demum in gratiam firmiorem cum Alvaro ſuo. Itaque compeſcendi omni negotio ſunt volatici iſti, &, ſi venerit uſus, ceu phreneſi aut rabie correpti, etiam conſtringendi, ne uno faſce, ſapientiam obliguriant. hæreant tandem, ſedeantque immobiles in uno propoſito; habeant, quò

intendant: quod quidem si unum non erit, nullum erit; quippe, ut ostendit ipsa ratio, vix aliquò plures esse possunt: plures uno termini esse non possunt.

Nunc age, inquiet nugator aliquis facetus, quin enecas nos? quin saltem manibus pedibusque in cruce suffigis? hinc enim tibi planè nusquam evagabimur: marcebimus in uno loco de sententia. sapiens omnino tu, qui ista non præciperes, si luderes corio tuo. Hæreant, sedeant immobiles, quasi scilicet lapides muti. si manus, aut pes imus tantulùm luserit: in nervo. ò hominem festivum. per te sanè non stabit, quin miserum sapientem tam strictè concludas, tamque duris conditionibus illaquees, ut res illi demum redeat ad restim: ut mitissimè, ad insaniam. Hem, cavilli maximi. pura puta mendacia; jam enim à principio declaravi, quò rem essem deducturus. sapientiam istam lapideam nunquam docui. sapientem sedentariũ æternum fieri, non jussi; imò illius ad nova studia transcursus tempestivos, quæ sunt deficientis jam animi legitimæ quædam evaporationes, laudo, persuadeo, inculco. atqui vos parum sana capita, quantùm prospicio non transcursum pro tempore meditamini, sed fugam: non inducias, sed defectionem inspicitis. Quare istuc fuit semper arbitrium meum: Una esto meditatio summa: una primas, etiam, si placeo, secundas habeat: tertias citra omnem religionem velitares quædam, perquè otium susceptæ habeant transgressiones; enimverò illud hinc erit de lucro, quod animus eadem diu cura, ceu situ maceratus, non enervabitur; nec præterea faciet damnum ab excursibus istis, qui, ut brevissimi, industriam acuunt, ubi tædium extinguunt. natura quippe ita sumus. quidquid producitur temporibus, gratum ingratumve fuerit à principio, id fastidimus: ipsa rerũ novitate inescamur. quocirca pondera ponderibus tẽ-

pẽran-

peranda: & negligenda quandoque pars, ne pereat totum, more fœneratorum, qui, ne prima sors conturbetur, sed pro ea minimùm integra à malis nominibus dimittantur, reditus donant. sic relaxemus necesse est uspiam ingenio officium suum, justum otium indulgeamus: quod nisi faxis, imò contra urgebis eò ampliùs: vel nihil ipsum vietum jam, atque exossatum emunges: vel si quo succo etiam invitum, inscitissimum omnino illud erit, & valdè pœnitendum. Nimirum lene, liquidum, & obsequens palato vinum prima tantùm dat pressura: quod est deinde tortivum, & per vim pede circuncisо expressum, satis austerum est, ac resipit ferrum. Ergo post sudationem mactè multam, post delassatam, atque hebescentem jam jugi attritu mentis aciem nemo sanus prohibeat, tollere parumper oculos, & dissipare animum, quò vires longo labore afflictæ merita cessatione recreentur. Verùm ista ipsa cessatio, nolo, deducatur ad ignaviam. otium intermedium permitto, sed ignaviam ne intermediam quidem. proinde in manibus habendi, quos modò dicebam, tempestivi excursus ad finitimas artes, apud quas contentionem studii ponas, non studium. quanquam effuso jam carceribus ingenio hæreat, moneo, in pede resticula: ut revoces continuò, dum plus justo avolat, dum aliena curricula ultra placitum intemperanter obequitat. ita si sobriè, si libaturus, si particulas ex tempore solido corradens ad aliena studia accesseris, non fies ab re tua omissior, & fastidio, quod in iisdem usque meditationibus creari solet, relevato, vegetior indè redibis ad pensum tuum.

Roget quis: Quæ disciplinarum tibi videntur otiando? nullæ omnibus: aliis aliæ; siquidem quot homines, totidem, nisi fortè multò plures gustus. universè tamen pro delectu genialis cujuspiam disciplinæ respiciendus utique est uniuscujusque labor, ingenium, ætas, propen-

sio. Hic tum alter: Tu seorsum homo Philosophus, à qua nam arte petes diverticulum tuum? In primis ego philosophus tam hactenus affatim diverti, ut vix mihi post hac videatur opus futurum novo diverticulo. Deinde, urgebis quoniam hoc ipsum, si res ita caderet, ut mihi à mea tabula dimovendus foret oculus, aliòve convertendus, ut referam istam saltem parvam gratiam disciplinæ benè de me nupèr meritæ, qui cum, alius quantùm amor, geniusquè indulsit, traxi me aliquandiu peramanter, si, inquam, ipse otii causa tenendus alicubi sum alienis à Philosophia studiis, Me in primis dulces teneant ante omnia Musæ, Quarum sacra tuli. ad Rhetorum igitur officinas, interpolandæ industriæ, concederem, aliquò concessurus; atque eò libentiùs, quò hinc certiùs in me reciperem, fore, ut, quæ boni moris leges sunt, Rhetores contra ipsi, delicias suas aliquando pertæsi, ad nos veniant identidem otiatum; & quę inter istas disciplinas vivida fuere semper amoris germina, si forte neglectu aliquo aruere, refloreant. Atque equidem, nisi si fugit me ratio, & quà gestæ, quà gerendæ rei fallit amor, pro certo habeo, non esse artes prætereà alias, quæ ita concordes sic se frequenti adjungant beneficio, quæquè tam sanctè mutuam sibi ultro operam tradant, quàm istæ. Quod certè fecit non ætate nostra modò, sed superioribus etiam, ut maximi quiquè Philosophorum Rhetores, maximi quiquè Rhetorum Philosophi extiterint. ut enim alios transeam, quid Aristoteles, & Cicero, Philosophorum, ac Rhetorum apices? nonne disciplinas sanguine, & amore conjunctas suo ipsi amplius studio revinxere? quàm scitè Aristoteles de Rhetorica, Cicero quoque quàm aptè de Philosophia scripsit? quanquam sic uterque alterum præbuit, ut in alieno tantùm laudem: in suo laudem palmamque sequeretur.

cæte-

cæterùm transituri per otium lineas suas, ad alterius alter partes tanquam ad socia castra se transtulit. Amant ergò, & meritò inter se amant nobilissimæ facultates: nec deest amoris illex similitudo. quòd si qua etiam; ut necessum est fieri, diversitas intercedit, amori nihil omnino nocet; propterea quod est maximè temperata, remissa maximè, planè tanta, quanta satis, ut alias faciat, non alienas. quam ob rem sapienter Zeno Rhetoricen à Philosophia discrevit, quantùm alius quivis explanatam manum à manu in pugnum compressa discrevisset. & certè in Topicis, in arguendi via, in complectēdi vi, ubi quærunt, ubi inveniunt, ubi disponunt, ubi alteri altera substantiam ministrat, quæ inter ipsas consensio, conspiratio, concordia? Quid? quod si fateri non pudet, nec pudere certè necesse est, habent eædem istæ fabulas quoquè quasdam, nugasquè communes. suas concedunt Rhetores: &, si forte sint de turba poëtarum, id ipsum ampliùs fronte rectissima. Nos Philosophi nostras utinam negare possemus. ecquis enim de nostris tantum sibi sumit, ut sanctè juret, vel capillum se acu: nihil ne latum quidem unguem extra liram: tandiu, quàm vixit philosophus, unam fabellā minimā nusquam; se gentium? quæ sanè cum aliquis de se mihi narraret, dicerem, hic tum ipsum dare fabulam de majoribus fabulis, quas dederit alius unquam ter maximus fabulator. Sunt omnino in rerum scientijs offensiones istæ inevitabiles. qui se ab his jactat immunē, fumos vendit ipse sibi: ipse sibi imponit mirificè. multa non liquent penitùs: in quàm plurimis ratio nihil illucet: nullum se prodit indicium: & universè verissimum est, quoties viribus omnibus in altissimo puteo siliquam, scrupulumve veritatis piscati sumus, ejusdem eodem in loco remanet libra defossa. Iam verò, quod accidit sæpissimè, finge, hic te premi, strangula-

gulari', ut illud obſcuriſſimum doceas: tu ſub cultro reſpondes ne ingenuè ac ſine fuco,' quæ olim in cauſa dubia Iudex Romanus, duo illa verba, Non Liquet? imò verò ne ampliata quidem cauſa, ſtatim, quæ neſcis itidem, ut quæ ſcis, primò judicans, quot mirabilia ore præſentiſſimo, & poëtico veluti jure divinas? at inter tot mirabilia, & divinationes nulla divina virgula conceptas, fabula eſt, fabulam deeſſe. Quid demum plura? Num uni Poëtæ dormiunt? non; ſed nos atque illi ſimiliter. nos ergo atque illi ſimiliter ſomniamus. Quare cum tanta ſit præſtantiſſimarum artium cognatio, propinquitas tanta, tum etiam bonorum malorumquè inter ipſas tanta communio, quin deceat, earum ſtudioſos, hoſpitali teſſera accepta, viciſſim tranſcurrere, & mutuis ſynceræ caritatis hinc inde officijs priſtinæ benevolentiæ igniculos ſuſcitare? Sed parum eſt, ſi modò deceat: etiam oportet. videte. Philoſophus, undecunque iſtuc, an fato, an genio ſuo, is certè, quantus quantus, nihil niſi triſtitia eſt. hinc logi illi, & illę fabulæ in vulgus. barba promiſſior, caperata frons, intentum ſupercilium, vultus acerbiſſimus, inceſſus meditans, digitus loquax, aliaquè multa id genus aut argumenta, aut irritamenta mœroris. Rhetor è contrario munditia totus, voluptas, elegantia. frons explicita, oculi ludibundi, vultus hilaris, cutis ſplendida, crebri ſales, joci plurimi. jam autem, quæ medica pręceptio eſt, curāda frigidis calida, frigida calidis. Philoſophum incedentem triſtitiis, gymnaſium curarum, ad hæc amœna traducito identidem, ne funditus conſeneſcat. Rhetorem circumfluentem lætitiis ad illa ſeria quandoque deportato, ne penitus juveneſcat. Ah, Philoſophum, hominem extra humana, chorus, cantilena, luſciniæ, rivuli! ajo enimverò. Philoſophum maximè iſta; & hòc potius, quò minus volup-

voluptati, magis justæ remissioni tribuuntur. Decent ergò illa illum pro tem pore, quo videlicet fatiscunt vires, & mens animi, fatigatione diutina contabescit. Non helvatur Philosophus. rectè sanè. potum in se non ingurgitat. verum. at idem ipse pascitur, toleratur, vivit. lurconi cuipiam prandium circumcide; non autem sic fame fracto, ut venter gutturque quemadmodum ille sibi dolebat, resideant in perpetuum ferias esuriales: volo dicere, studioso Philosophiæ eò libentiùs plura concedenda: quò sibi ipse plura negat, ærumnasquè devorat intolerabiles. Exigite, quæso vos, AA. parumper, quàm cadat necessarium facere otia ista Philosopho. cui enim alteri vitæ ratio tam dura, tam odiosa, quàm quæ illi misero dicta est? Initiatur ex nobis unus ullus; allegitur inter hujusce artis magistros: lætitiæ, plausus, congratulatio; istæc ad paucos dies. mox illa sine fine. cogitationes nocturnæ, diurnæque, somni crebrò intercisi, scriptiones usque ad venæ fracturam, curæ spinosissimæ, deniquè in corollarium dolorum addita gemina laterum ægritudo, censores emuncti, pervigiles, navissimi, qui te commodùm circumcirca putant quotidie, & emuscant. quo circa si scribis, si loqueris, si nictas, incedere te semper oportet gradu suspenso, & anima compressa, tanquam sis ova calcaturus; ut te tantillum neglexeris, ut unum verbulum, unam sententiolam vix nectentem tabulæ ut fit imprudens illeveris, miserum te. tragædiæ. ad primum diem fastum, quo in hoc eodem sapientiæ templo cogitur senatus legitimus, magnis clamoribus appellaris: raperis in jus immisericorditer: Parricidis statuta olim mulcta intenditur saccus, è quo nisi te tandem ratiunculæ tuæ, bona latera, & vox tantò melior evolvet, aliena certè misericordia non vives. I nunc, & hominem tot pressum ærumnis, tantis mæroribus confectum,

velut

velut peculii intricati reum in Tullianum aliquod, aut in gurgustium, si quod habes pejus, consepeli, ut bilem atram digerat ibi commodiùs. satiùs, si sapis, erue quandoquè illum à tam capitali loco, & produc in liberiorem aliquem, ubi securus possit spirare, & respirare, dicere dictum sine contradicto, etiam, quæ in loco sapientia est, sine sua fraude desipere; Hæc autem dicendi, agendique licentia in territorio rhetorico nimiùm magna est, nisi tamen maxima pro ea regione, qui est fundus latissimus poëtarum. etenim istæc regio, quanta est circumcirca, ne versum quidem unum, jugerumve habet commodum veritati. fabula tantùm ibi sativa. fabulam unam perinde ac totum assem censentur incolæ. Beata gens, cujus quippe deliria, gerris siculis vaniora, quisque demiratur: nostra vel oracula despuuntur. Huc itaque sapiens accisus tanquam ad Tarentum suum, non una lite diiudicata pergat animi causa. hic per dies aliquot velut exhæresimos, molestioribus cogitatis exemptus, quà tempore lectitans alienas nugas, quà lusitans interdum ipse suas, capiet pusillum laxamentum: undè acriorem, vivacioremquè impetum ad intermissa reportabit. interea loci, quæ jucunditas misero? quæ oblectatio? nemo enim, qui cõtra: nemo, qui in scirpo nodũ: nemo, qui cum calculis ratiocinator exactus. mutata omnia. paulo ante ne libuisse quidem, quod liceret: modò licere supra, quàm libuisset. haberi nunc penè madido sibi, quæ olim fides sicco, sobrioque negabatur. dicere se demum corde libero, quæ alibi somniasse dumtaxat crimen fuisset majestatis. exporrigit ergò insaturabiliter frontem: usque ab unguiculo ad capillum summum recreatur: mœrorem omnem intestinum exhalat: juvenescit; Quæ mihi qualitercunque dicenda fuerunt cum ob commoditatẽ meam, meorunque æqualium, currentium in eodem

pulve-

pulvere : tum maximè ut pro recenti tametsi non multò arctissima consuetudine nostra hæc Apollini gratificarer, & mori potius obsequerer, quàm amori. quippe ambo sic semper fuimus, ut inter nos modicè, aut etiam intra modum amaremus, nec bona, nec mala vicissim gratia uteremur. Ideo cum paucis ab hinc mensibus, missione non invitò exorata, ab Helicone discedo, & salvere, fortassis æternùm, Apollinem jubeo, neutri certè nostrum oculi doluere. tantùm ipse, inter discedendum, injecta in sinistrum humerum manu, amiciùs me compellans oravit, ut, quandoquidem minùs amarèm, viderem etiam, ut subinde mediocriter odissem. si nunquam aliàs, ut potius ipse rebatur, essem reversurus ad sua: tamen sinerem Auditores meos, saltem meis non ingratiis, interdum ad se venire. cæterùm ipse nec dimittere me, nec tenere. facerem, quod cordi maximè. sed si quándo, quod vix speràbat, redire multò maluissem: ut redux in eundem, ubi fueram usque ad illum diem, non nimis inhonoratum locum restituar, curaturus. Hic tum equidem pro tot meritis, singularique benevolentia, quas potui tempore, Musarum Principi gratias gratissimas egi: observantiam ultro, si minus reditum lautè spopondi: cæteros, & Auditores speciatim ipsos meos non modò non alienaturum, sed etiam ad Apollinem, musasquè amœnissimas hortaturum fideliter recepi: qua demum fide, factisquè sponsionibus, ut me obæratum, sanctissimè liberarem, istæc quomodocunque in speciem prolusuri apud vos Dixi.

EN-

ENNIVS

Dicta in Lupiensi Academia ad rhetoricæ institutionis præludium:

PROLVSIO IV.

NEc Zoilum præsto, nec Aristarchum sequor. stylum non habeo livore temperatum, nec piperati aceti punctus in lingua servo repositos.¡Hinc quanquam certi hominum ducunt insulsum præfari sine felle:quippe ajunt, non allici melimelis, aut mariscis, sed chiæ ficus morsu salsos, urbanosque viros; tamen ipse, ut qui morbum tàm elegantem, & hujusmodi sales in numerato minus habeo, avoco me hinc: simul nec maria, montesque polliceor, quasi vos inducam in altioris expectationem argumenti; qui solœcismi sunt hominum bombiliorum, sclopo rumpentium intentas buccas,ubi in arena, hoc est, in arte etiam non sua ampullantur. sed quæ nuper novus equidem, nec de consuetudine, ut bona pars vestrùm, qui talia facinora facitis numerum, quæ,inquam, nuper in bicipiti somniavi Parnasso, dum sit vobis complacitum, dicam si non liberaliter: quippe apud lectissimos, quales vos estis, viros, ne digitum quidem movere potes, quin pecces, tamen, vestra humanitate id ipsum concedente, dicam liberè. Rhetorica, ornatissimi auditores, ut fit, tractaturus, habui satis diu in incertum, si foret mihi ad Rhetorum senatum in Parnasso degentem ascendendum,ut illius consensione, & bona voluntate collegii docerem auditores meos artem hanc, Quid facerem? duplici in diversum scindebar

debar hamo. in altera parte non modò par, verùm etiam necessum erat, non sine suffragio, & facta copia provinciam polita fronte vendicare. in altera verò viam causabar arduam, nihil expeditam, non paucorum dierum, & intermedium temporis pænè nullum. nec mihi, quod erat calamitatis caput, ut aliis felicioribus sæpè contingit, in promptu pegasus, aut unus ullus erat ad manus ex iis pulicibus, quibus duodecim elephantorum molem superantibus, voluit græcus auctor sublimes vehi populos Psillotoxotas. Ergò hisce diversus trahebar, & speciatim mordebar eā cura noctes, quibus, quoniam frequens somnum nullum videbam oculis, ii erant mihi motus rapidi, & inconsulti, ut penè laqueum Parnasso mandarem integro; tamen abstinui strenuè, veritus, ne perfamiliarissimos meos, habentes eum locum, meæ diræ implicarent. Vbi igitur eram in hac insomnia, & solicitudine integer, media, nisi labor, nocte, vel ad diluculum perparum inclinante: ecce tibi (& est tuta fides; neque en. sicuti somno, mente item tunc me captum memini) ecce, inquam, sublustri luce, homo vetulus adest coram, & improvisus, & eo cultu, quali jam proferam. Madui repente metu non exiguo, & cum spectrum, ostentumque crederem: Quid, inquio, quid hoc est proludii, atque portenti? ille sub hæc vultu satis humano: Heus tu resiste, ait: tenes ne me? ego te? bonus mihi sis, quicunque es, ne de facie quidem. interea mirari ego, fricare occipitium, excutere memoriam omnem, nutare, hærere, nictare, lustrare oculis hominem, & novi vultus fila ad aliorum, qui mihi se obtulerant aliquando, conferre: tamen neque hilum proficere. is tum videns me subturbatum, humero comiter injecit dexteram, & jucundiore cum gelasino, Accipe, inquit,

(1) *Lucian. l. 1. vera hist.*

quit, me purum, & putum ipsum Q. Ennium. Hic tùm ipse respiravi, & ajo animo recepto: O visus benè, & accipio, & gestio, talem mihi virum dati in conspectum: simul omnis desiderium eram unum, avidissimus ad sciendum, quorsum phantasia illa pertineret. Interea loci, qui habitus ejus, qui color, qui vestitus erat, quæ quamvis per noctem vix tenui, de die nunc vos accipite tribus bolis. Principio videbatur aliquantillum senex, & planè defloccatus; quippe annos ad nonaginta præseferebat: hoc .n. vellent caput, manusque quietæ nunquam, & nutantes, vox meticulosa, gramosus oculus, tergum fornicatum, striata caro, & similia senectutis extremæ vestigia. edentulus præterea, & labrosus magna extenuabatur macie; ut cotem aluisse videretur. color erat nigellus, & insolata multo sole facies. Frons consulcata, & senex quamvis sagacissimus, tamen haud erat emunctæ naris. nullum in puro sincipite capillamentum; sed calvaster, is non erat, quem calvisses. ad hoc quasi prefocabatur excelsiore quodam collari, tugato in orbem, crispatoque minutulis, & concrescentibus æquè plicis, more parentum, qui focalibus illis laciniosis, & replicata minutatim carbaso collum circumvallabant. tum erat velatum pileo caput, nimis, ut ita dicam, aurissequa; ad quem nullam unquam vestiariam scopulam admoverat: unde veniebat Archimedi sæpiùs occasio, ibidem trigonos, quadra, quadrantal, figurasque omnes describendi per jocum, Ennio ridiculum in modum reclamante. Sed tum loco contabar, qua de causa insigne poëtarum lauro deficeret frons? responditque pridianam illam bono omine conflagrasse ad lucernam. Incedebat togatus romano more, ut qui jam olim urbe donatus, sed toga abundè fenestrata, & quæ, quasi cum Poëta dicam

. . . . . *Passa est furiosi cornua tauri.*

Quid

Quid interior tunica nihilo minus, quàm toga, dilori- cata, & fatiſcens? lita inſuper per ſtrias olivo, & mala pituita, ſponte ſua de vetulis illis, corroſiſque naribus in hircinam barbam, ex hac in tunicam occidente: neque, ut fit, antica parte, globulis uno quoquè ocello ſuo inditis, aſtringebat, ſed aperta, & laxa negligenter, vix hærebat in ſcapulis: unde pateſcerent attrita femoralia, & gauſapinus thorax nedum iſte integer. dein caligæ, villo prominente aſperiores, altera cannabacina zona, paluſtri altera junco reſtrictæ: de quibus ad ultimum hærebant in poſtremis pedibus, coriaceis ligulis anſulas utrinquè vix concludentibus, calcei informes, & repandi, ad omnem latitudinem facti, quos noſtræ ætatis φιλόκαλοι, mundioreſque ipſa munditia adoleſcentuli ſine ullo inductorio tractim calcearent. universè tamen fila vultus amœniſſima, verborumque tanta erat urbanitas, & ipſe tàm facilis, commodus, tantoque lepore conditus, ut hominem malè tornatum, bardum, ruſticanum, ex hara prodeuntem allexiſſet: quò ipſe mecum agitabam, quàm pulchrè; & beatum eſt paupertati, quæ vultuoſa non eſt, & amaſulenta, frontem non corrugat, neque addit ſupercilium item, ut divitiæ, quæ curas, ſuperbiamquè, ſiniſtras divitum ſcabies, habent unà ſecum numerata. Verùm quia otium non eſt, redeo, unde ſum digreſſus. Igitur ſatis animo confirmato, multa rogitabam; cum primis, quæ viæ captata occaſio? qui ſtimulus? occurſatio iſta intempeſtiva quò tenderet? quid vellet? quid juberet? ille ad hæc diſſerere ſenili quadam prurigine infinita, improba cum tuſſi, ſcreatuque ſatis impuro; ut me tres horas ſolidas ab ore pendentem dederit abundè in laſſitudinem. tamen volenſque nolenſque indulgebam hominis garrulitatem illam otioſam, vitium loquaciſſimæ ſenectutis; à qua traxiſſe me hodie aliquantam facilè condonabitis: quanquam

quam, ne omnino hæsitem in eodem luto, à tàm magna verborum segete extinguo solùm ea, quæ pretium est operæ, ut dignoscatis. Ante omnia sibi feriens frontem, & à mœrore manibus inter se pectinatim junctis, lamentabatur acerrimè, indecenter se primis honoribus excitari, & moveri limine poëtarum per literatores aliquos, quorum os, tanquam præfurnium, dicta in principes viros evomerent mala continenter. qui non cogitarent, opera sua carmen epicum latio donatum, & se principem è latinis in eo canendi genere extitisse. Quid erat, quod solis ipsis explosus Ennius? Quorsum illa? relegandum cum annalibus suis in pistrillam; & fædatas mucoso carmine papyros citò ad vicos speciarios immittendas, compositurας piperis cucullos, aut præsentius in tarichopoleum tradendas pueris salsamẽtariis, cordyllarum, halecumque garo maceratarum penulas constructuris. illum delirum senem, silicerniũ illum, decrepitumque poëtam, illum antiquarium, effætumque liguritorem versuum, illum etiam rudinum, propterea rudere, propterea non dicere, sed screare carmina grallatoria, sibylla aliqua, vel Oedipo conjectore indigentia, ut legi, nedum intelligi queant. Secundum hæc Ennius si quando venit ad coronam, & Academicorum nares offendit, major pars oscitare, alii aliorsum se convertere, hiare plerique faucibus, digitisque per contemptum exercere argutias, aut brachia distorquere præ tædio. quid autem loquor illos, qui rõchos trahunt vigiles, ducto, reductoque ad numerum capite. Hæc, atque alia procuratione P. Virgilii Maronis, qui graviter ferebat præstitem suum ita sugillari sine more, relata ex æquo frequentissimo senatui apud Parnassum, patribus non placuisse: ut senatusconsultũ gravissimum contra Enniomastigas omnium consensione patrum sancirent: & illud senatus consultum, quod con-

contortuplicatum servabat tectum & sartum diligētissimè ex una ascopera, quæ de sinistra pendebat axilla, expediit, cautumque in hoc fermè exemplum erat. Patres laureati, qui plurimum negotii habent, ne quid resp. litteraria detrimenti capiat, accepere ex oblata per P. Virgilium dica, divinam Q. Ennii poësim, malè acceptam vetustate, per aliquos amplius poëtas circulatorios pessimè dilacerari. itaque videntes tanti viri ornamentis, imò vatum omnium concilio, ut ne in dies magis magisque augescat, ac penetret se in poëticum corpus gangræna hæc tam sinistra, summa universorum consensione ita decernunt: Quod nugarum hactenus, jocorum, cavillarumque in Q. Ennium, hoc est, in latinæ musæ venerabiles cunas, à quovis ullo prudēte, aut imprudente, sciente, nescienteque exciderit, iidem ipsi cavillatores revocanto è vestigio. posthac verò nè quis velit perfricare frontem, & confidenter, quod jam est cautum, audere de integro, consules à prætereuntibus hæc senati acta exilio per novennium animadvertunto; interdicentque aqua castalia homines mastigias, ac frontones. eorum verò codices, si qui sūt, permutantor venali smegmate, aut vitreis fractis, vel potiùs aliò distrahantur, ut igne donati vel in nihilū desinant. Hæc senatus, quæ relata jam in litteras publicas ad vos promulganda mihi dedit: nec pensum ante contraxi, quàm levaret ipse me contra illa eadem, qua cura angebar in primis. vir autem bonus neutiquā abnuit. tantùm me monuit, primò cogendum esse senatum simul, atque pertenderentur ludi Apollinares, qui dati jam, completique forent, nisi, quoniam in dies, nescio quo omine religiosos inciderant, quæsita fuissent à Patribus diludia, & ab integro instaurati feliciùs. Proinde dies adesse nefastos, in quibus haud esset fas, forensia negotia procurare. propositurum in se

rece-

recepit meo nomine supplicem libellum, qui peteret, ut, si Patribus collibuisset, fieret mihi in integro, rhetorica instituere de more, & sine ulla fraude perdocere: quod ipsum homo accuratissimus, ne memoria excideret, in quintuplicibus suis rescripsit. data deinde, acceptaque salute, officiosisque moribus me missum faciens, diversus per tenebras abiit. ego noctem excussi, hæc ita, ut evenere vobis enatraturus.

Age nunc, sis, addamus appendicis pauca; sed paucis multa. Quid tum? sciolis istis abibit sic salsè, ut ne iisdem reponam, qui tàm impudenter in maximi operis artificem linguas cuspidant, ut bilem in nasum conciant vel trunco, ubi apud ipsos idem Q. Ennius, quod fex poëtarum, quod compluvium antiquitatis, quod poëtices cadaver, quod cœnum latinitatis. libet sanè hoc loco argumentari;

O seclum insipiens, & infacetum.

Condonate, quãdo linguam in ore clausam hìc non teneo, & decedo pauxillum pristino meo more vel invitus; quoniam de præstantissimi viri dignitate detrahunt quisquiliæ litteratorum. Sapivit poëta ille nequior, & certè sapivit, cum asserturus à cynicis istis sua carmina,

Hæc mala, ait, sunt, sed tu non meliora facis.

Quò demum lutum luto trudunt, & eandem, quam insultant, scalpunt sibi scabiem? sed ita res est. eò tristes peccatis sumus alienis; quoniam fartæ nostris à tergo sunt manticæ. & sumus in hoc ludo erudituli maxima pars. nobis placemus soli: cætera, non quia mala, sed quia sunt aliena, fastidimus. In hoc vero, quod pejus est, sepiusculè peccant tincti litteris, & qui libarunt artem primis digitis, tanquam si medici, qui malè curatam si-

(1) *Catull.* (2) *Mart.*

tam fistulam specillo levissimè prætentarent. hi hominum proclivius damnant poëtam, aut unum ullum litteratum virum, quàm tu ovi lùteum sorberes tractim. Ille (sic .n. ajunt sine sale faceti homines) ille est deridiculus oppidò: vah quàm in dicendo est lutulentus. vide, ut illius oratio vappa est, futilisq; sermo sine succo, & morsu. ad institutum non redit ille alter: atat pejor, qui nullum unquam ex principio habuit: hæc involvit, illa reuocat, alia incidit; uno verbo, etiam cùm agit, nihil agit. verùm quid pernicies aurium blatero ille, linguax, & verbosus, ille, ille, qui nihil est præter vocem. sed iste dicit sideratus, & veluti stipes, ubi alter lymphatus, & ad agnatos, gentilesque deducendus

Irruit, & frustra ferro diverberat umbras.

Neque ab se diversi, quæ consignantur æternitati volumina, & in ipsorum veniunt manus, bona non bona, Lectis vix paginis duabus, spectant ἐχαπωνώλιον severi, & longas trahunt oscitationes. Ergo hæc, appellant dedecus olei: illa currant ad salariorum scrinia, rapiantur in culinam, involucra scombrorum, pondus inutile librariorum, typographorum mercatura. scilicet nihil est, quod non fallerint suo sale; & ipsi benè varicati, & valgi desioculum excipiunt sibilo. sed res sic habet:

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

ergo displicet Q. Ennij poësis nescio quibus: hoc parum; nisi amplius misserrimo poëtæ tanquam uni valentissimo veterinorum quo jure quaque injuria darent gestanda cavillarum, jocorum, dicteriorum millies millena millia; perinde quasi caules, ac fungi forent tercenti primorum hominum, qui de Ennio sensere perquàm gloriosè. Non placet uni v. g. de grege novitiorum poëtarum Ennij poësis: at placuit Ciceroni, qui

G vatem

(1) *Virg.* (2) *ex Mart.* (3) *A. Pers. sat. 5.*

vatem hunc, præterquamquod ipsum in suis operis successivis, & intermissarijs inducit sæpissimè, optimo jure summum nominavit Epicum: Placuit Varroni, qui laudum illi detulit primas, ubi musarum discipulum appellavit: Placuit M. Porcio Catoni, qui ex Africa in Sardiniā adducens Ennium, hoc non æstimavit minoris quolibet sardiniense triumpho: Placuit præstantissimo poëtarum Ovidio, a quo perhibetur ingenio maximus: Placuit C. Lucretio, cujus est illud de Ennio præclarissimum

Qui primus amœnó
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Placuit ante alios Maroni, qui passim ab eo verba, periodos, versus etiam solidos mutuatus est: quod arguit, quo loco habenda sit attellana illa, & sine capite fabella, in qua congerro ridiculus Virgilio vertit vocem illam: Aurum colligo ex Ennij sordibus, morsurus, credo, uno fasce utrunque; Ennium, de quo hæc dicerentur; Virgilium, qui de Ennio hæc diceret: Placuit Adriano Cæsari, & ita placuit (quod bona venia certè, & præfatus honorem dico) ut Ennium Virgilio item, ut Ciceroni, & sallustio prætulerit Cęcilium: Placuit Horatij testimonio, quod certè maximum est, criticis ipsis, cecinitquè:

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Vt critici dicunt.

Denique placuit ijs omnibus, qui eloquentiæ, & venustatis omnis consultissimi, Homeri animam in Ennium impunè traductam, insertamque putarunt. Sic expedivi per vestram fidem locupletissimos testes? tamen mihi adhuc reclamant lateribus bonis capitones isti: oho quid, inquiunt, polentam nobis, & secundarium scindis panem, vescentibus pollinario? emersit jam sæculum eruditius ex veteramentarijs illis poëmatum stru-

ćturisc

cturis. amamus nunc aures eruditæ aliud, quàm

O Tite tute tati tibi tanta tyranne tulisti.

nihil, quod repit, rapit in præsens. laureolam non quærimus in mustaceis: nec arcem facimus ex cloaca. ubi canimus, nisi auditorum labra ad stuporem disijungantur hiatu, perdidimus operam. vadat ergo in cruciatũ vetustas; & in malam rem veternosæ istæ musæ, grallisquè præ senio gradientes. Phi quàm bellè isti sagiũt, & demorsos sapiunt ungues, ubi cæteros hominum rurari putant, & caulescere. ut scalpturiunt lubenter, & semet titillant circumcirca, dum veluti Alpha literatorum gaudent in se, & mirantur propria. Quod fortè alter elaboravit, infaceto rure infacetius, sordidissimum, perquàm ineptum: quod ipsi; miraculum: nihil omninò est tàm cultum, quod tanquam fœnisecæ solertiores nolint ipsi ab integro sicilire. Iidem isti ovẽ vorant sine piaculo: ovum alienus si comedit, novem, ut dici solet, peccata committit. & putant ignorari, ubi gigantomachiam aliquam, aut batramyomachiã, titulos horrendos, ad aures garriunt, leguntque de scripto, habere sæpiculè ipsorum poëmata illud cum Nilo commune, quod utriusque caput delitescit. manus fures, nostri frontones ingenium habẽt piceatum. verrunt, quod est librorum ad aucupium semiputati carminis, aut sententiæ circumcisæ, quibus tomenti loco farciant centones: nisi fortuna potius operam integram alieno labore curatam obtulerit, cujus eleganti furto ingenii laudem tolerare non pudet usque eò, dum vero artifice comperto opus redierit postliminio; & ipsi veluti sorices indicio deprehensi suo, furtum ab unguibus reglutinare, ac remittere coguntur. Hìc tum magna usuvenit ipsis calamitas, & ea planè, quæ cuidam elegantulo studiosissimo formæ, quam, cùm ex

capitis vitio deformaret satis defluvium capillamenti, restituebat eandem ipsam galero, hoc est, commentitio, adulteratoque capillo. narratiunculam Phaleucium calente vena expedit; accipite:

O rem ridiculam, & voluptuosam,
Et dignam omnibus omnium cachinnis,
Et dignam satyra movere nasum.
Comptus, molliculus, tenellus omnis
Ibat deliciosus, arrogansque:
Et, dum se ad numerum hinc, & inde versat,
Circum adsibilat undulata vestis,
Quo mirum sibi sibilo placebat.
Spirabat veneres, fluente bucca,
Discincto similis puer nepoti.
Formosus tamen omnibus videri
Præ cunctis, quot erunt, erant, fuerunt,
Quanquam bregmate fluxerat capillus;
E desiderio uritur procaci.
Proinde, ò lepidè satis repertum,
Quò lapso pretium adderet capillo,
Crinem composuit pecuniosum,
Externæ segetis pilosus ipse.
Hora tunc aderant caniculares:
Vt plus cæsaries deceret aurea,
Gressu compita conterens superbo,
Præstabat sibi pileo flabellum:
Alternisque agitans notos recentes,
Crinem molliculis secabat auris.
Parvam Simius ante lusitabat
Qua tangi poterat manu, ad fenestram.
Imprudens ubi præterit, faceta,
Et multi fera particeps leporis,
Furtim flavicomo manu propinquans,
Cœpit carpere crine vellicatim; at

Il-

Illud non fuit Hercle vellicare,
Sed ludum dare ſat negotioſum:
Et, plus quàm, fera luſitans, volebat,
Arentem capitis revelat agrum.
Hic vicinia proiicit cachinnum,
Et riſu petit impotentiore
Tonſtricem male belluam, glabriquè
Abraſum caput admodum ſeverè.
Heus, qui ſcribitis, ò boni, cavete,
Venam conciliare adulterinam.
Nam qui non tua ſurripis ſiniſter,
Stulta ut te celebres procacitate,
Non eſt, ut lateas; enim docebunt
Vocales citò litera latronem.

Sed hactenus ad nugas? ſimus in re ſeria. Quid eſt demum, cur nugivendis iſtis improbatus Ennius? ajunt, verba illa carioſa, corroſaque vetuſtate eſſe faſtidium: non placere vocabula ante cataclyſmum, & eluvionem terrarum obſoleta: ſenſus quoque antiquarios repudiari, veternum olentes, putoremque quemdam murinum. O cavillos inept iſſimos. Quid n. ineptius, quàm obiicere antiquitatem antiquo? ſubit hìc me ſobrii hominis cogitatio non inſulſa, quæ quoniam loco commodat apprimè, non licet eam impunè præterire. Conveneram familiariſſimum meum animi gratia; tractoque in multam noctem ſermone, tamen incidit mentio ſuper ſcriptoribus latinitatis primæ. Ego quanquam haud ita ſeriò deridere aliquantiſper, veriùs admirari compoſitionem iſtorum, non ita nitidam, & orationem minus cultam. ille ad hæc, erras, ait, ſi omnia omnibus ætatibus probari credis: addiditque exempli loco; Cædo, ſis, mihi; genus veſtium hodiernarum offenderet ne apud majores? nempè eſt certius certo, fuiſſe improbaturos noſtrorum adoleſcentium ornatus ex-

quisitiores, qui simplici gaudebant, & modico sumptu comparato. at nec formas inspectarent sine risu. videtur. adstricta, & veluti femoribus assuta feminalia, minutulis inscripta punctibus, aut follicantia illa, quæ reciproca quadam ad genua jactatione, tanquam folles vestiarii accipiunt auras, redduntque more gallorum femoralibus supra umbilicum appensis. Quid brachialia novitio quodam fastu dissecta, & è sectura, perinde ut majora vela, subligaria bina ex lino tenuissimo prodeuntia: ut, si homines protentis brachiis ad antennã subliges, ferant onerariam integram, carbaseum illum luxum impellente vento? Pileorum quot schemata? alii consurgentes in altissimum conum; petasati alii: ut ad solem defendendum corpori integro præstarent umbellam; quidam tunicati serico meta depressa, antica parte in cuspidem revoluti; ut, qui utuntur ijs, quasi cephalocerotes, unicornesque videantur. hic ampliùs pinnulæ, hic spiræ, segmentatæ hic ligulæ, etiam anuli ex argento, auroque, & alia valdè multa, quorum nihil amavit antiquitas; nec amata probasset. Quis crederet prçterea calceolarios in prçsens evasisse tortores? interrogatote adolescentes nostros mundissimos: hi, ubi calciantur, ferunt, quale solet tormentum reorum pedibus admoveri, cippos, numellas, bojas, pedicas, cæterosque pedestres cruciatus, ne qua ex parte natet in calceolo pes. In primis autem est facetum videre, qui calceos extrorsus in lingulam proijciunt, tomentisque farciunt, quod est pede longius, ut faciant sine pede pedis imaginem: alij verò magis nitidi, tanquam romani senatores, lunam dividuam gerunt ad crepidas, & calceaminis frontem bovatim formant, lunatico quodam ornamento. Quorsum autem caligarum tendunt illæ, quæ texto tàm remisso licia implicant holoserica ut, quod integunt patefaciant? studentq; egregiè cul-

tores isti tibiarum, ut, qui color est interiorum tibialium; anterior videatur: quod haberent facilius, dêpta serici textilis fallacia, pateretque vivacior colorius ille luxus, quem celant, ne celent. De muliebri mundo quid dicam? Navis, & mulier nunquam satis ornantur: Cato dicebat. Quid esset nostra hac ætate conquestus misocalus iste alios, atque alios ornatus, ad nullã satietatem identidem comparatos? serta verbi gratia, crinalia, galericulos, fimbrias, sandalia, spiras, anulos, pigmenta, iridesque illas crinitas, quibus extollunt à fronte capillamentum. adde viarum, turbarũq; pernicies, novellas istas cyclades, & syrmata, interiore gyro orbiculatim suffulta: ut quod loci ne sex homines quidem, una occupet femella. insumma illud volui dicere, foro, & scenæ parendum esse, & quamlibet ex ætatibus proprios afferre mores, & vultus, nec propterea quia hæc diversa, mala. Isthæc, aliaque ille mihi eruditus homo narrabat ad tempus, ex quibus sic volo, vetustissimo poëtarum non licere fraudi esse vetustatem suam. Quanquam maledici hoc habent vitium, quod strabi, qui nihil rectà intuentur: aliud cernunt, quàm quod cernere videntur. in hunc morẽ, qui alienis obstruunt luminibus pessimi detractores, mordent jugiter, quod non est par reprehendere; laudant, quod castigare opus esset. quare suspiciunt fumosa lumina furtivæ orationis, bracteolas quasdam sententiarum, & cerussatæ mendacia eloquentiæ: verùm genus dicendi carnosum, & germanum artis colorẽ, tanquam impexi, tristisque styli pallorem perditum, & senectæ disciplinæ deliria, artisque evanescentem imaginem detestantur. Quò tamen, quàm iniqui hæc eadẽ de poëta sentiunt nostro; doceam manu, in medium pono unum, aut alterum, quod primò venit obvium, ennianum carmen, in quo nihil erit seu majestatis,

ſeu leporis, ſeu probatiſſimæ artis, quod vir cordatus deſideret. Et inter prima cognoſcite robur, nervumq; ſermonis, ubi decertantium vim tribus hiſce verſibus declarat; & per nomina primum:

Marſa manus, peligna cohors, feſtina virum vis.

deinde per verba:

Reſtitant, occurſant, obſtant, obſtrigillăt, obgăniŭt.
Pes pede premitur, armis teruntur arma.

Illa verò prælii navalis quam luculenta deſcriptio eſt.

Verrunt extemplo placidè mare marmore flavo.
Cæruleum ſpumat ſale, conferta rate pulſum.
Labitur uncta carina. volat ſuper impetus undas,
Quem procul aſpiciunt hoſtes accedere ventis
Navibu' velivolis, magno clamore bovantes.

At in illa altera proſtitutæ fœminæ quàm accuratè mores expresſit:

Quaſi in choro pila
Ludens datatim dat ſeſe, & communem facit,
Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata: alii perpellit pedem:
Alii dat anulum ſpectandum à labris:
Alium invocat; cum alio cantat; attamen
Alii dat digito litteras.

tu m quæ ſententiarum vibrata lumina?

Qui ipſius ſibi
Sapiens prodeſſe nequit, ne quicquam ſapit.

mox:

Benefacta malè locata, malè facta arbitror.

inſuper his:

Amicus certus in re incerta cernitur.

Quæ autem ad commiſerationis affectum excitandum ab exclamatione proficiſcuntur, quàm uſurpat bellè?

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo!

& Andromachæ querelas quàm feliciter exequitur:

O Pa-

O Pater, ò patria, è Priami domus,
Septum altisono cardine templum.

Nec ignoravit carminis texturam rei exprimendæ moribus coaptare. Proinde, ubi navis velocitatem figurat, versus ut evolat celer:

Labitur uncta carina per aquora cana celocis.

aut ut ille alter, qui celeritate pedum, & asperitate literarum nulli est secundus:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

venustissimè protendit se, ut hominis insignem proceritatem declaret:

magna ossa, lacertique
Apparent homini.

Et aliquando desipuit in loco; ubi lusit pueriliter in satyris per paronomasiam à recentiorum nonnullis ad fastidium usurpatam:

Nam qui lepidè postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit, frustra esse:
Nam qui sese frustrari, quem frustras, sentit,
Qui frustratur, is frustra est, si non ille est frustra.

Adderem alia, nisi, quoniam hora deficit, satis, abundèque propositum præstarent hæc pauca ex multis, quæ tamen multa in suo ipso fonte vitio temporis fragmenta demum sunt, hoc est, sententiç incisç, sensus obtrũcati, carmina divulsa, distractç, & disparatç periodi: quod apprimè commendat poëtam; siquidem videtur tantus inter tineas, & blattas; & plus duabus partibus abreptus sibi, tàm immortaliter suo superbit in cinere. Tamen ut ne quis perdat operam, & convicia, aut dẽte dentem terat, fateamur ultro communi quodam fato, aliquando etiam Ennium se proiicere, & suo veluti versu opptimi nonnunquam, sed quotum certè queq; poëtarum laudare sic potes:

In

In toto nusquam corpore menda fuit?

qua de causa nemini non additus, qui animadverteret, acerrimus castigator, sicubi per imprudentiam adhuc peccatum fuerit. & primi quique scriptorum, Maro qualis, qualis etiam Cicero, aliique sexcenti tulerunt homeromastiges suos. Certè Virgilium sugillavit ille, ubi tertia Eclogarum deludens initium, duos versus dic mihi, &c. sic ad ludibrium invertit

Dic mihi Dameta cujum pecus, anne latinum
Non, verum Ægonis: sic nostri rure loquuntur.

& hemistichio ex primo Georgicorum

Nudus ara, sere nudus:

adscripsit importunus cavillator;

habebis frigore febrim.

At Carbilius Pictor adversus Æneida justum volumen exegit; fuitque inscriptum Æneidomastix. Herennius pleraque Virgilii vitia in unum redegit; Perilius faustinus furta. Ciceronis porrò sententiam minus fortasse compositam Gallus Asinius, & Largius Licinius in oratione, quam dixit pro Cœlio, carpunt abundè. A. Gellium, si est otium, consulite noctium Atticarum l. 17. c. 1. Lepidissimus de more ajebat Ovidius, scriptorum, hoc est, sua vitia excusans, decentiorem esse faciem, in qua aliquis nævus inesset. Idem ipse rogatus ab amicis, duos ut expungeret versus; tamquam nothos, & abortivos. facturum se contra respondit, dum ipsi duos vicissim à nothis, atque abortivis exciperent; statimque illos conscripsit in pugillaribus, quorum fuit alter:

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

alter:

Et gelidum Boream, egelidumque Notum.

at ex

(1) *Ovid. l. 1. Amor. eleg. 5.*

at ex altera parte hos eosdem in triplicibus suis amici designaverant: ex quo factum, ut intelligerent, nō deesse summo ingenio hominibus ad coercendam carminis licentiam judicium semper, sed animum sæpè; & nimio cultu decedere aliquando, verti ornamento.

Denique verum esset, docere amplius disciplinas, quibus fuit excultus Ennius, bonasque artes, quibus undequaque absolvebatur: sed nolo esse longior, & protrahere tamdiù fastidium, quo vos captos ante multò intellexi. tantum mihi ex postrema hac parte sumo, monere auditores meos, ne flocci saltem ipsi faciant defloccatum hunc senem; rudinum complexentur hunc, si rude donari velint. Non est ita tetricus, ut videtur. mores habet bellissimos; & iuventa ætate belliger fuit. antequam indulgeret musis, meraco vino indulgebat; & calescente vena poscebat grandioribus poculis: ut de se prædicaret; Nunquam poëtor, nisi podager. Ita, dum caneret, erat semper paulò hilarior, & lucernarum numero versuum numeros concinnabat felicius. Ergo ne pudeat mucosum vetulum insistere; amat enim canos sapientia; & tùm ipsa speciatim floret, cùm defloret ætas. Sectamini tantum virum, etiam popularem vestrum; & bellis hisce hominibus, qui poëtam insultant, indulgete vos vicissim adūcis naribus. sin autem exinde minus sapiunt, quisque vestrum

ad librariorum
Currat scrinia, Casios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligat venena.

tantum cavete, ut ne res redigatur ad manus; & bajulorum ritu pugnetis. Ipse contra, ut vos instituam rhetoricis, expectabo, dum mihi hanc sortem Patres lau-

(1) *Cat.*

laureati coniiciant, libellumquè remittant, senati litera inscriptum: Quod brevi spero casurum. sin autem minus: eorundem erit, uberius reponere, quod in me desiderabitis.

LIBER PRIMVS

CARMINVM

EPICA.

Christo Iesu Gentis Humanę Liberatori teterrimam passo mortem.

Quid superis luctum intulerit: quo funere, cælo
Pulsa dies: quid terram, atque omnem excusserit orbem;
Quin etiam rupes ipsas quę cura, dolorq;
Mollierit secum avulsas: patefactaq; tēpli
Claustra diu: atque animis quanta inclementia duris,
Expediam. Tuq; ò tanti pars magna laboris,
Huc ades, infandos mecum decurrere casus,
Ah Virgo miseranda. tibi hæc, gnatoque procella
Incubuit violenta tuo. aspirare canenti
Huc ades, & præsens facili rege lintea cursu.
Vos, age, Pierides, & quas Heliconia tempe,
Et quas alta tenent Permessidis otia lymphæ,
Ite, Aganippæos manibus diffringere fontes,
Atque novos aperire amnes; quod enim instat, agēdum

Hic

Hic lacrymis: sunt & lacrymis hic omnia plena.
Non ego digna mihi defleri carmine credo:
Non, si me superi erudiant suspiria magni,
Quale olim flevere ipsi mærore sequestro.
Tantùm hic feralique umbra, gelidaque cupresso
Mutamus laurum: hic ferrugineos hyacinthos
Induimus tumulo. hic etiam miserabile carmen
Dicimus: ah levia hæc magni monumenta doloris.

Jamque sub obscuræ pacata silentia noctis,
Qua Gethsemanidum nemus exit ad astra, Cedronis
Propter aquam, ingentes voluebat pectore curas
Magna Dei soboles: luctuque flagrabat acerbo.
Nunc locus exiguo tantarum ab origine rerum
Carmine principium magnum, fontemque canendo
Eruere. undè habiles mortalibus Æthcrius Rex
Induerit formas: hominem undè referre, tulitque
Humanas etiam plus justo tangere curas.
Luminis, ut perhibent, placidi, placidissimus auras
Rex hominum, Divumque tènet. sibi solus abundè,
Dives deq; suo nullis consumitur annis.
Illum etsi thalami exortem probat omnia Patrem
Natus adhùc. illi os, faciesque simillima nato;
Et, si non ultra miros diffunderet ortus,
Natus erat. narrant cum olim cara oscula libat,
Complexamque sinu prolem tenet, hæc simul olli
Dixisse: O tanto soboles æquæva parenti,
Qui mecum imperio terras, & sidera torques,
Omnipotens, nimiùmque meus, nunquam ne levari
Clade sinis terras? nunquam te adverteris orbi?
Nec minus interea nostrum numenque, fidemque
Addideram, missurum olim, qui fœdere terras
Accipiat, vacuumque replerit civibus axem.
Evenere dies. amor, an promissa morantem

Exti-

Extimulant? nec plura; toro cum filius alto
Desilit; auratumque caput diademate solvit,
Fulmen & extinxit dextra; radiumque repressit,
Incessu penitùs properans se fingere nostro.
Exin monticolæ infantem videre sub antro
Pastores pellentem ægris vagitibus auras.
Atque solo pulsum præduri Regis ob iram
Niliaci accepere amnes: rursùsque paternam
Se in sedem retulit. quamquam multum indè suorum
Jactatus furiis, multaque exercitus unda.
Nunc ubi prima quies trepidis oblivia rebus,
Cœperat & curis noctem spirare secundam;
Ille dolens, victusque animi, sub nocte silenti,
Hostilique plaga, solus, sibi testibus umbris,
Fluctuat. urget amor vitæ, faciesque propinqui
Funeris angoremque, metumque injecerat omnem.
Ceu nemore ignoto dubijs vestigia plantis
Si tulit,& longùm deeravit inhospita Virgo:
Evolvensque involuit iter magis. ægra rediret:
Nec satis est. sibi jam, sibi demum irascitur ausa
Ire iter insuetum. matrem tectumque relictum
Cogitat: & gemitus inter, pulchrosque timores
Nescia, quem clamat, clamat tamen. omnia surda,
Sylva silens: echo tantùm longinqua remugit.
Sol ruit interea; crescit luctusque, metusque,
Exprobransque dolor nimiùm deserta viarum.
Hàc modò tentat, & hàc: & nulli credere parti
Audet se. vocat incassùm: pergitque, reditque,
Consistit, crebrò nemora aspera circumspectans
Attonita, intereà lacrymę volvuntur inanes.
Nulla viæ facies: tantùm spelæa ferarum,
Roboraq; antiqua cernit procumbere sylva,
Omni ex parte timens. si ludit in æquore rivus:
Si Zephyri levis aura nemus quatit; aut lupus acer,
Cre-

Creditur, aut colubri mala vis. præcordia passim
Exultant, frons exanimant, & sibilus auræ.
Non secus exanimata Tonantis sola propago
Multa gemit, trepidatque & pallida morte futura
Patrem orat, lacrymisque preces armantur obortis.
Occidimus, Pater, occidimus: nil deprecor ultrà:
Nil moror; ipse vides, nec fulmina ab axe videris
Ejaculare manu. pereo tuus. aspicis, ut nos
Defecit calor omnis: & ipse hic halitus oris
Vix trahitur? mox aspicies & funera nostra.
Perque has, perque etiā lacrymas Genitricis, in omnes
Ire unà mecum casus, omnesque parantis
Pænarum ire vias, miserere. hanc ipse reliqui
Vix fletu vivam assiduo. miserere meorum,
(Sunt numero exigui comites) potes omnia. si qua
Demùm parte vacat: si ulla est via, subtrahe letho,
Oro me; Nato si fas est vivere, vivam.
Sin autem tibi certa sedet sententia, & istac
Stas genitor: neque te abstineo, neque jussa refello:
Mortem oro. extemplò patrias vox impulit aures:
Agnovitque sonos; & eum lecto agmine circa
Stabant Cælicolæ magni, queis talia mæsto
Corde refert: ò quis vestrum mihi nuncius ales
Continuò ad Gnatum? ite citi, atque hæc reddite verba.
Nate, diù, multùmque malis convulsus acerbis,
Pone metum, lacrymasque. tui manet, atque manebit
Semper amor. me nulla tenent oblivia Nati.
Sed me languentem stimulat malè proditus orbis:
Sed me dicta Patrum: me laus in funere nostra
Multa tuo. miserere orbis labentis, & ad te
Proxima tendentum palmas, qui Tartara visunt.
Ast equidem tibi me juro: dabit improba pænas
Isacidùm gens latè omnis, dabit. urere flammis
Stat tellurem inimicam, & gentem evertere ferro.
Tu dura, rebusque refer te, Nate, secundis.

Dixe-

Dixerat. extemplò legitur de millibus ista
Qui ferat, ac trepidum soletur funere Regem.
Induit hic juvenem: juveni tantùm addidit alas.
Nudus utrumque pedem, crinem dat findere ventis;
Tum chlamydem picto sinuosam colligit auro
In nodum, quà lata fluit; simul æthere ab alto
Præcipitat, volucrique volans cita fulmina cursu,
Et cursu debacchantes prævertitur Euros.
Illum pallenti similem, similemque timenti
Repperit: illum etiam pura sub nocte jacentem,
Quærentemque mori. stupuit levis Aliger olli,
Dejecitque oculos, dixitque miserrima verba:

Nate Deo, neque ego tantis te exoluere curis
Hùc adsum auxilio: neque si quis adesset, egeres.
Imperio Patris hùc venio, qui tangitur æquè
Et tu morte tua. & genitor sua numina jurat,
Infandam eversurum urbem, gentemque rebellem,
Cælicolum tamen excidium, sine civibus æther,
Et deploratæ longo jam funere terræ:
Quin etiam nullis non dicta oracula sæclis
Urgent.i, morere; ipse Pater spectabit ab alto,
Lecturus supremam animam, luctusque supremos.
Quid repetam ex illo venturas funere palmas?
Scis etenim, scis ipse. Pater te in sceptra reponet:
Regnabis; genus atque tuum super astra locari,
Exuvias Erebi, aspicies. nunc perfer, & omnem
Sume Deum. tibi finge parem te. plura parabat
Dicere. at ille solo exanimis collapsus, anhelam
Flat, reflatque animam, & funus præcurrit acerbum.
Nec non sanguineus sudor (mirabile dictu)
Mittere se venis, atque omnes nare per artus
Usque ad humum, & viridis lactentia gramina campi.

Qualis agro, tereti, flos integer, ictus aratro,
Flos & honos, & amor Nympharum, morte recepta,

Ponit odoratum sulco caput. haud amor ultrà,
Nympharumque honor: at squalet projectus arena
In media, suavemque animam diffundit ad auras.
Non aliter lapsum sustentant millia Regem
Cælituum, referuntque datis de more lacertis.
Donec ab axe Pater perculsus imagine facti
Affuit, atque animam præsens revocavit euntem.
Hùc latices puro lecti de nectare, liquor
Mellis, cui longè florens assurgeret Hybla:
Ignes hùc vivi, solisque liquabilis aurum
Exprimitur. referunt animos, inque ora sinusque
Offusi rores, allataque pharmaca Cælo.
Usque adeò excutitur patrii medicaminis arte,
Ut præire velit, languentemque increpet hostem:
Increpet ignavas acies, furiasque morantes.
Et medium jam nox biugis superabat Olympum.
Isacidæ, gens dura, & ineluctabilis ardet
Flagitio, dubiæque per alta silentia noctis
Armati invadunt vacuas certamine pugnas.
Hìc clypei, hìc galeæ, hìc præfixo hastilia ferro,
Et clavæ, & tacito mendaces lumine tædæ,
Quotquot & insanis cæcus furor arma ministrat.
Scilicet his teneant armis: hoc milite vincant,
Cui terno totus digito suspenditur orbis.
Turba furit, celerique solo petit avia sylvæ.
Vertite iter Solymi: malè pergitis. ista pigebit,
Nec longum in medio tempus, tractasse pericla.
Hæc patriam, nitidosque lares victoria vincit:
Urbis & antiquæ muros hæc una ruit nox.
Noverat hæc (quid enim non noverit unicus alto
Patre satus) sibi eas acies, sibi bella parari.
Aggreditur, se seque ultro venientibus offert:
Et prior, Heus, inquit, juvenes quæ vestra per umbras
Est via? quòve pedes? quæ prælia nocte geruntur?
Isacidæ

Isacidæ contra : scelerum spectamur; adesse
Ultores. vos interea monstrate Tonantis
Qui se progeniem jactat. quibus ipsa Tonantis
Progenies: non ille Deum fert vana parentem,
Natus ego ipse Deo: toto simul ore refulsit;
Aspectuque omnis patuit Deus. æthere qualis
Icta domus, centum illa licet sublata columnis;
Sternitur extemplò, atque omni tenet æquora casu.
Non secus arma, viros, videas instrata supino
Procubuisse solo. Mea sic monstratur origo,
Tunc ait, ista probant sceleri Numenque Patremque.
Nunc sino; enim vestrum est rapere, atq; incedere tēpus.
Dixerat, & majestatem, numenque propinquum
Actutùm revocans, multa sub nube recondit.
Ast Abramiadæ quà copia facta, lupi ceù
Irruere, & circumfusi glomerantur in hostem
Non hostem: incassùm fortes raptantque ruuntque:
Atquè modum ac morem præter pugnatur utrinque:
Hi stringant: ille ut vinclis det stringere palmas.
Ergò alacres facili præda, votisque potiti,
Nocte super media refluunt, captumque trahebant.
Atque ea dum Solymæ cæptis immanibus ardent:
Non ignara mali Genitrix, sibi nomine natum
Nequicquam clamat, fletuque hauritur inani:
Jamque recursuros Titan ostendere vultus
Cogitur, atque diem invita producere habena.
Abramis ut primùm Virgo candescere vidit:
Bethanios pertæsa lares, vilesque latebras,
Præcipitat teneras inimica ad mœnia plantas,
Certa mori. Sociæque viæ, sociæque pericli,
Quodcunque id fuerit, celeri se protinùs addunt
Magdalis, & Cleophæ coniux, & mæsta Salome,
Atque aliæ; ipsa præit cunctas gemituque viaque.
Ecce propinquabant muris, portasque tenebant:

Cum proles Zebedæa minor properantibus ultrò est,
Exanimata fugæ studio. simul aspicit illas,
Et,quò prorsus iter? quò mænia tenditis, inquit?
Quin age, & ipsa pedem, genitrix, refer. en tibi victor
Actutùm affuerit; neque matri parlerit audax.
Nos miseri (quid enim est quod jam sperare queamus?)
Nos fugimus: petimur simili,trahimurque ruina.
Nunc cessisse malis, nunc spes arctare necesse est.
Continuò Abramidum quassantur corda timore:
Paulatimque fluunt animi. Sed Numinis alti
Sola parens, Heus, vos, inquit, narrate mearum
Pænarum seriem. propero mea vulnera nosse,
Forsitan immoriens. date jam cognoscere matrem,
Quos luctus peragit Natus, quibus errat in undis.
Nil contra Zebediades: neque posset iniquis
Obrutus à lacrymis. urgentur corda parentis
Interea. rursusque rogat, rursusque moranti,
Per lacrymas, & per communia funera,dixit,
Tandem oro, miserere: noces pietate quid instat?
Fare age. queis tenuere dolis? quò deinde? quid ultra
Passus?non quæro causam, sat novimus istam.
Multa ergò lacrymis præfatus, multa recusans
Tandem, ait, (urget enim miseræ sententia matris)
Desine meque tuo discerpere, teque dolore:
Non equidem hæc vivus refero; sed nosse cupido
Quandoquidem tam dira rapit, quæ dicere possim
Dicam ultrò, & rerum (liceat tamen) ordine promam
Pauca suo.sed jam morientia numina testor,
Si durare queam lacrymas, si vincere luctum
Tam magnum. trepidæ subitò stipantur in unum,
Narrantemque audire volunt, quæ dicere nollent:
Et quam læva plagam ostendit subjere reductam.
Incipit ipse: Hesterno aderat nox plurima cælo:
Nos patriis de more epulis, sacrisque peractis
Hortum

Hortum infelicem petimus. præit usque paventes,
Visus & ipse pavens rapidum tranavimus amnem:
Venimus. hic pallere magis, tædere, timere,
Insuetosque pati fluctus. vos, fidite, dixit:
Atque simul numero ex omni Cepheida legit,
Germanumque etiam me. olli dum vita manebat,
Carus eram (fletuque ea verba rigavit oborto)
Dein longè nobis etiam divellitur, atque
Abscedens: ò vos, pueri, ne fidite somno;
Sed Cælo de more manus efferte supinas:
Cælo efferte preces; torpentem deprimit hostis.
Ipse aliò, itque viam solus, quam vincere jactus
Penè queat silicis. procumbit cernuus agro,
Patrem orans: Patrem contenta voce vocabat.

Ecce autem ab Solyma, nec longum tempus, & ipsam
Per noctem obscuri veniunt, celeresque manipli.
Ignes ambigui lucent, obscura recentis
Argumenta doli. facinus nox atra tegebat.
Ut patuere satis: trepidi trepidavimus omnes;
Ast unus præsens animi properabat in hostem.
Nos lenti sequimur. quæ me disseminet auris
Tempestas penitùs, vobisque aperire negaret
Æterni faciem sceleris. vidisse neque ipse
Qui vidi, credo, monstrum. latro. Iscariotem
Nostis? periurum numero respeximus illo.
Nec satis: infestam ductor vehit ipse phalangem:
Ipse docet callem insuetum: ipse incumbit, anhelatque
In scelus: ignotumque hominem signo excipit ipse.
Circumstant armati omnes. nos, paucula turbà,
Quid facimus? neque enim liceat propellere vim vi.
Hinc timor, hinc & amor: superest timor. æquora latè
Fundimur. ille dedit vinclis constringere palmas:
Nos timidi conjurato subducimur hosti.
Ut primi cessere metus: pudet. omne revolvo

Solus iter, pariterque animum post dura reflecto.
Jamque autem fremitus victorum audire; virosque
Demum oculis capiebam ipsos. iter insequor ardens:
Et me tanta trahit tunc oppetiisse voluptas,
Ut veniam, & telis mixtus mea fata lacessam.
Juro vos ipsas: merui periisse. cupitum
Non aliter plagis tenet ac si fortè leonem
Venator, pudet occursantem sistere damam.
Prætereor. totus frangit se fluctus in unum:
Unius labor est: uni tot bella geruntur.
Accedunt igitur muros: accedimus ipsi.
Pontificum veniunt ad celsa palatia: & ipse
Pone sequor. præstat, qui se rerum explicat ordo;
Quæ se spes aperit: nobis quæ sternitur unda,
Nosse tamen. lictor primas penetraverat ædes.
Ut patuit religata manus Davidica proles:
Continuò lætum volitat subsellia murmur;
Murmur, quale venit, cum se mitissima tellus
Induit in florem, cumque omnis parturit arbos.
Roris odorati soboles studiosa volantum
Fervet melle suo, currens in prata recurrens,
Venatrix; rostroque, & versicoloribus alis
Increpat arguto cunctantia rura susurro.
Illuxit: nunc, Sancte Pater, nunc vellere mundum
Cardinibus: fulmenque manu torquere vocat res.
Quos nimbi, vel quos flammæ servantur in usus,
Hac si parte vacas? quantum tibi dempserit ista
Lux, Mater! quantum perdis Davidica tellus!
Quandoquidem sic prona viam fortuna secabat,
Hàc urgent: cunctisque sedet, rem vi esse gerendam.
Si morem servare velint, servabitur hostis.
Romulidem, cui summa necis, lucisque potestas,
Incautum aggressos, superest, terrere tumultu.
Vero si nequeant: fiet res crimine ficto.

Hostis

Hoſtis dum pereat : pereant ſimul omnia jura .
Jus majus, potiuſque fuit victoria ſemper .
Nec mora, confluitur, raptant quem ſtupea mille,
Ferreaque intexunt ſpiris retinacula tortis .
Jamque reportabat rumor latè omnia, more
Vix augenda ſuo . tota concurritur urbe;
Fit fragor.utque novos habitus, funeſtaque vulgus
Argumenta videt: quò ceſſerit inclyta virtus,
Quò nova progenies, Genitorque vocatus ab axe,
Mirantur. tum etiam meritorum oblita priorum
(Quippe trahit ſubitò procerum plebs ima colores)
Illudit capto. impellit mox cæca tumultus
Et non illa ſuos, alienumque imbibit ignem .
Veſtibulum ante ipſum quaſi relligione parentum
Conſtiterant. prohibere dies Prætoria magnus.
Hinc fremitu aſſurgunt, quantum ſi forte viam vi
Fecerit, atque hoſtis medias irruperit arces .
Principiò extimuit voces, moremque rebellem
Pontius : auſonioque latus ſtipante maniplo
Proſilit ante fores ipſas; & qui furor, inquit,
O Cives? qui corda dolor tam fortis adurit?
Iſte? ſed inſanas primi vos frangite turbas:
Et jubeo; moremque, modumque imponite vobis.
Nil agitur; plebs empta furit : penitùſque rebellat.
Hoc poſcunt, pænas; pænas uno ore repoſcunt.
Sed Patres, certus ſceleris quos advocat ordo,
Compellare forum, legeſque: intexere cauſas
Ex aliis alias: factiſque infecta colorant.
Namque ferunt magnis clamoribus: ut foret omni
Seditione potens : majorum inverteret acta;
Arderet patriæ ſoliis : eo ſoſpite nulli
Certa ſalus.jam muneribus venalia cogi
Pectora. preſſa diu, nuper nunc agnita fraus eſt.
Ni trabe damnetur, citò cernent urbe vagari

Sepositas turmas, aliosque incedere fasces.
His Italum stimulant dictis, qui talia contra
Ore refert: Quippe hoc hominis tam pessima curet?
At nil tale refert nobis seu vultus honestus,
Ingenui seu quam video clementia moris.
Ergò ego periuros, atque hunc uno ordine habebo,
Quem vos nequicquam causa terretis inani?
Et simul (Ausonium credo decor inclytus oris
Cæperat) indigno juvenem vult fune levari,
Pacatumque animi discedere vulgus. ibi omnis
Impensus dolor, atque extremi jacta furoris
Semina. regna impunè rapi ferat? istud amicum
Cæsaribus? patriæque facem, fontemque malorum
Vivere? sed non ille quidem non ultus abibit.
Supplicium luat infandum. alta pendeat orno,
Pendeat; idque fremit plebs omnis: & improba pœnam
Non super exposcit, jubet. Hic, quid lux mea contra,
Magdala ait; num obstat? num dictis dicta refellit?
Stabat sublimi juvenis Genitore creatus,
Assurgit quamvis hinc fluctus, & hinc, scopulo par,
Immotus, certusque sui. nil dicere contra,
Nil obstare. nefas! sine teste, sine ordine raptim
Indefensus obit. primò respexit amicè
Pontius. ast toto latè dum corpore belli
Cernitur: ille omnes trepidus dimittit habenas:
Ille suprà morem sternit jus omne, manusque
Dat populo judex paucis clamoribus emptus.
Quid moror? extorsere crucem; & quò ritè paretur
(Discite judæam rabiem) quò ritè paretur
Tam magnum facinus: facinus furor ordinat ipsum.
Non placuit sine lege nefas. hac jura verentur,
Qua jus, fasque perit: decretaque verbera Patres
Legitimæ crudele vocant ante omnia virgæ.
Spectaclum exin horrendum. vix cernere quivi.

Tu

Tu nequeas audire, parens. quacunque vides sol,
Vidisti ne unquam quicquam crudelius? ergò
Bis stragem seni arripuerunt, rustica corda,
Lictores (quod jura negant) virgisque salignis,
Verberibusque bovis secto de tergore: & imas
Ferreus, heu pietas! prefigitur uncus ad oras.
Tum demum juvenem non ullo crimine victum,
Insontem, formaque sua, famaque tuentem
Nudavere. unum hunc vidi tractasse dolorem
Difficilem. rubet extemplò: tamen anteit hosti,
Se vel ferre ædem in mediam, seu sistere saxo.
Incipiunt rigidi pugnam, crispantque flagellum
Alterni; risuque favet, plausuque corona:
Ipse malo durus, pœnæ supereminet omni,
Despectans crudele solum. instant verbere toto,
Crura solo obnixi, porrecti brachia cælo.
Incubuere: silex tremuit: livere repentè
Corpora, jam vibex: jam plaga rubere repentè.
Nec mora, nec requies: referunt sub verbere verber:
Jamque hàc, jamque illàc: suprà, infrà, undiq; quassāt
Difficiles ramos (rectæ præsentia frontis,
Inflexusque habitus, vultusque impunè sereni
Sunt stimulo) crebrescunt ictus: ceu ruit horrida,
Effusoque fragore crepat super imbrice grando.
Lora sonant, resonantque: statim undiq; liquitur amnis
Purpureus. revoluta cadit cum sanguine vena.
Tellus ipsa natat, ponunt in vulnere vulnus.
Ipsa etiam curvo nudantur viscera ferro.
Me miserum! aspexi quæ vivus funera? jam jam
Genua labant: casuque instat: procumbit humi mox,
Ipsam animam tractim accipiens, tractimque remittēs:
Palpebræque micant conatibus interruptis.
Hìc defecta fames. gelidum, exanimemq; relinquunt,
Corpus; sanguinea an vulnus tellure foventem?

Instra-

Instratum tumido calcat pede victor: abundè est.
Nunc Patrem memora; nunc te fac fidere natum.
Sic te sic volui; patulæ tu jurgia linguæ
Compesces. igitur, dicto factove supersunt.
Jam mortem ingreditur: sua ni vis exigat omnem
Mortem oculis, & se subitò in sublime recepit;
Umbra tamen, totumque stetit sine corpore corpus.
  Hæc satis? initia hæc luctus; graviora retexit
Miles. erat miles vino, ludoque solutus
Solicitos circa postes, sedemque Pilati.
Convenere, diem scelerato fallere ludo.
Sediculam in medio, solium regale, locatam
Insedisse jubent, effæto huc murice limum
In chlamydem inducunt. sceptrum referebat arundo.
Pro crinali auro, pro frontis honore coronam
Deproperant, vepribusque super, subterque retextam
Cingere temporibus: nec tantùm cingere, quantum
Et fodere, & fixas acies trusisse cerebro.
Dein medium circumvallant, Regemque salutant,
Strati ante ora genu. miscent tum seria ludo,
Et faciem palmis, & arundine tempora quassant,
Ora etiam fædum in morem spurcante saliva.
O quem te ex illo memorem! (te pulchrior olim
Non fuit in cunctis: nunc vili vilior alga)
O quem te memorem! quantum diductus ab illo,
Qui lenire leas, qui aspectu marmora possis
Scindere? mutati vultus, vix credere cuiquam
Vix liceat quantùm, ignotus tibi, Mater, adesset.
Scilicet eluctantur adacto sente cruores
Usque ad humum crebri: sed pars lentescit ad ipsam
Cæsariem; & rubro mittit se stiria tractu,
Implicuitque comas; gena verbere turget iniquo:
Sanguine tetra acies; crinis lacer: oblita barba:
Nullus qui fuerat; vocemque hic fletus ademit.

Isaci-

Isacides ultrò renovant suspiria magno
Cum gemitu. super hæc quærit fortissima Virgo :
Nunc quo nostra loco ? remanet spes ne ulla salutis ?
Est ne aliquid metuisse ultrà ? spes nulla, metusque
Ultra nullus, ait, Genitrix. feralia collis
Jam tenuere, latus gemino stipante latrone.
Hùc moriens trahitur. meta illa est illa dolorum.
Sed lux quò Cælo præceps revoluta recurrit ?
O meliora piis, superi. & jam Cynthius omnem
Visus indignos fugiens, fugiebat Olympum.
Tum subitò attonitæ pavor hausit corda parentis ;
Et scio, quid sit, ait. gnato lucere caduco
Sol negat. ah mihi nè lethum ingrediatur amarum
Me sine; & inde gradum celerem, mentemque regebat
In fatale jugum super immoritura ; neque illam
Flectere, seu comitum voces, sive ulla salutis
Cura suæ ; negat extincto super ægra futuram.
Est in prospectu Solymæ sub murice montis
Area, difficili terrens vestigia clivo.
Mons ipse haud ullo vestitur vere : peræsis
Tantum horret multus scopulis, & paupere gleba.
Arx sacra suppliciis. incocto hic putria tabo
Pendent stipitibus semæsa cadavera nexis,
Hùc similem, mediumque impuris sontibus, ac si
Præfuerit quondam furtis, trabe terga recurvum
Quadrifida, crebrò salebris, scrupisque malignis
Offendentem abigunt. populi vomit omnibus undam
Urbs portis. lugubre sonat tuba. tela præire,
Tela sequi. via fervet equis, cuneoque pedestri.
Postquam summa tenent : mutati pocula Bacchi,
Et fellis latices, & quæ tristissima myrrhæ est
Lacryma, propinant, fauces lenire calentes.
Ille labris potus primis libavit iniquos :
Oraque continuò violentus torsit amaror,

Tunc

Tunc raptim (neq; enim sibi tanta modum imperat ira)
Hi robur connixi attollunt. deprimit altè
Pars foveam: scalas alii, clavosque ferebant.
Tu lustrans genitorem oculis, cælumque paternum,
Ignaro exoras pacem, veniamque furori.
Nudum humeros, imos nudum de vertice ad ungues
Admovere cruci. pars in diversa lacertos
Pandere, transversoque alii distendere ligno,
Quantùm ipse argutam fidicen testudine chordam.
Tunc adeo (horrendum visu) labefacta dehiscunt
Pectora: & abruptis vibrant præcordia costis.
Cumque manus, plantæque acie infodiuntur iniqua,
Convulsi fugiunt nervi, striduntque: rubentem
Ceu faber irrigua massam cum proluit unda.
Hinc rigor, hinc rapidus dolor artubus incidit: atq; hinc
Instar fontis agit gliscentem vena cruorem.
Ipsum autem pœnæ suspensum incumbit acutæ
Corpus, & ardenti de vulnus vulnere laxat
Mole sua. bibit ille obitus, & funera lenta.
Audiit hæc Natura; & eam tunc æquora circum,
Circum amnes vivi, montesque, & millia rerum
Nomina confidunt operi, formasque ministrant.
Sub terra antrum ingens, insectum divite saxo
Deprimitur latè. longo pro pariete pendent
Collatæ rebus facies, exemplaque nuda.
Vitales hìc auræ, elementa hìc, margine secta
Quæque suo, labris ingentibus (undè recentes
Incipiunt ortus) adeò digesta quiescunt.
Illa sedens medio sub fornice, pondere librat
Cuncta suo. quæ sit facies, qui cursus habendo,
Metatur, nemorique sacro, campoque virenti,
Alitibus, pecori æquoreo, flavisque leænis.
Solennes ergò reditus in tempore veri
Maturans, flores, animas cudebat olentes,

Multi-

Multigenos:felici omnis domus halat odore.
Tunc violæ, tunc ipsi vultum afflabat honestum,
Palloremque urget; cum funere cita recenti,
Excussit manibus florem, rapidumque profatur:
Ipsanè te extincto terris Natura superstum?
Nulla equidem.antiqua meliùs da involuier umbra.
Redde chaos. celerisque simul genitalia mixtum
Semina,confusumque labris elementa revulsis
Ibat; eam vetuit vis altior.haud fuit ille
Sed terris impunè furor; namque indè repentè
Concita ter tellus tremuit:rupesque refractæ
Dissilvere, dabantque ingentes cernere hiatus.
Horrescunt Solymi monstris, vellentque revolui
Flagitium.jam tum tundunt fera pectora palmis,
Præcipites testati animos, cæcosque furores.
Sed procerum globus instat,& hoc,quod cuncta timetis,
Fiat, ait, facinus: majoremque imbibit æstum.
Usque adeo semel invidiæ concedere multum est.

At Deus erecta ut stetit arbore: lumina circum
Ægra tulit, si quem hìc errantem fortè suorum
Aspiciat: nullusque diu toto æquore visus.
Ingemuit; neque enim hæc olim promissa dabantur.
Quam tamen abnuerit parvo post tempore matrem
Prospectat rumpentem aditus,populumque morantem,
Joannemque, aliasque unà, quæ ingentibus ausis
Impellunt mediæ cuneos, truncoque propinquant.
Non tulit hìc matris lacrymas: non vulnera nati
Mater: utrique imo tremuerunt viscera saltu:
Utrique obriguere animæ: vox hæsit utrique.
Demum accedentem, domito ad suprema dolore,
Illam est affatus: Mulier, me dura subire,
Hoc decuit, placitumque Patri. tu vincere fletus
Incipe, habes,qui, me dempto, te nomine matrem
Dixerit (hinc non longè aberat Zebedæa propago)

Lumi-

Luminaque intendens utrique cruenta vicissim :
Hic tibi natus, ait: tibi erit dein hæc tua mater.
Quis tibi tunc sensus, mater, cum talia natus
Verba daret? qui corde dolor fuit, aut color ore?
Ipse etiam quamvis scelerata mente satelles,
Mitia non jusso perstrinxit lumina fletu.
Penè aderat non felicis pars nona diei,
Et Patri extremum media jam morte profatur:
Ah Genitor, Genitor, quia nam me ad sæva relinquis?
Duro quid terres oculo, vultumque minaris?
Non tibi pulsus amor nostri; & nos ritè litamus
Sanguine, qui venis tibi nunc quoque mittitur istis.
Patrem redde, Pater. voluisti asperrima ferri:
Pertulimus. quodcunque jubes, tranavimus æquor.
Nunc terris pacem exposco. si morte sequestra
Promereor veniam hanc miseris: si fœdera pono;
Parce: etenim hæc nati sunt verba novissima: parce.
Extremum hoc munus refero moriturus ab alno.
Tuque ades, omnipotens: nunc funere mergor acerbo:
Atque ades hùc genitore omni. tibi reddimus auras
Supremas. animum, Genitor, tibi credimus istum.
Dixerat, & toto funus pallore trahebat.
Infremuit natura iterum: nox duplicat umbras:
Tartarus horribilem mugitum margine ab imo
Auditus gemuisse: truci stant omnia vultu.
Tunc quoque decussit Genitor suspiria ab omni
Pectore; & ista refers, inquit, Judaica tellus?
Sed referes nobis, referes meliora: neque ultra;
Atque oculos penitùs Solymorum reppulit oris.
Ille (etenim immiti crudescunt vulnera sensu)
Horrendum inclamat: lapsoque in pectora vultu,
Se vita exoluit media, mortemque recepit.

Iu-

Iudith, Holoferne confosso Virginem Deiparam, Orco debellato, triumphantem præsignificat.

NOx erat, & bigis mediam tangebat anhelis
Luna viam. medium pulsabat cursibus axem.
Assyrius contrà miles (convivia quando
In noctem tulerat multam) prolutus Jaccho,
Differtusque epulis, bellique oblitus, & iræ,
Gramineo dat membra toro, passimque per herbam
Expirat madidos fumanti è pectore somnos.
Castra silent: lucent ignes jam rariùs, & jam
Ipsi etiam somno vigiles urgentur iniquo.
Est tumulus campo in medio sublimis, & arvo
Imperat: undè agros facilis prospectus in omnes.
Ipso hoc in tumulo, longè spectabilis ostro
Tendebat Dux Assyrius, qui turbinis instar
Barbaricas ducebat opes, & Marte secundo
Arcibus excidium extremum, regnisque ferebat.
Ut solet improvisam oculis ostendere flammam,
Regibus ah sævis flammam, sceptrisque cruentis
Terribilem, pura tristis sub nocte Cometes.
Illum urbes trepidæ, populi exultantibus illum
Prospectant terrore animis. stant omnia curis
Plena: ferum tamen ille micat, stragesque minatur.
Non secùs innumero stipatus milite, fertur
Eversor regnorum Holophernes. intremit Orbis
Latè omnis: præstatque Duci parere furenti,
Accipere atque ultrò Dominum, quàm judice ferro

Fer-

Ferre hoſtem, incendique ſimul cum mænibus urbes.
Tum verò (nam illum Deus, & ſua fata premebant)
Delectos inter proceres ſolemne ſacrarat
Diis patriis epulum, Bacchique infuderat amnes
Largiùs; indè (nefas) molli projectus in oſtro,
Sternit ſe ſomno, ducis immemor, immemor atque
Caſtrorum. intereà properant ſibi vindice cælo
Fata, graves ictus, atque in ſua damna puella,
Auſa viro majus, curas ſuper auſa viriles.
O quæ ipſum verſant diſcrimina! quantus ab illâ
Parte timor, timet undè nihil! mactandus ab enſe
Ipſe ſuo: prædæ ipſe ſuæ mox præda futurus.
Ergò blanda quies trepidis oblivia curis
Afflabat circum. jam denſa in nocte ſoporem
Carpebant placidum cunctis animalia terris.
At non interea ſomnos Hebrea Virago
Aut captat dulces, tranquillo aut corde quietem
Secum agit: invictæ vigilant ſub pectora curæ,
Alternatque animus varians motuſque, viceſquè.
Tot non Carpathii properant ad litora fluctus,
Cum celer iratum Boreas incumbit in æquor,
Et crebri circum montes volvuntur aquarum;
Quot verſat ſenſus, atque in contraria fertur
Juditha, curarumque inſano fluctuat æſtu.
Jamque hoſtem tacito luſtrat modò lumine, totos
Pectore proflantem ſomnos: modò luſtrat ab aureo
Pendentem clavo gladium. prona omnia, nullus
Arbiter, hìc mucro, hìc nox auxiliaris, & hauſtu
Conſtrictus multo ſopor, undique commodus hoſtis,
Solicitant ingens facinus. ſed territa ceſſat
Dextra tamen, molemque horret tremefacta pericli;
Ah quid agat? quæ ſit potior ſententia menti?
Audeat? oppreſſumq, mero, ſomnoq; ſepultum

Mer-

Mergat adhuc letho ? mergat:patriamque secundo
Vulnere subripiat stragi. ruat impigra in hostem,
Quà Deus, & sua dextra vocat. quicunque sequatur
Fælix infælix casus: certè illa sequetur
Aut laus, aut laudis meritum, pro jure suorum,
Et patria, & laribus, temploque, arisque suprema
Conatam. sic se se animans ter triste cubile
Invadit; ter rursùm ingenti victa timore
Sistit: ter vanis recidit conatibus ira.
Ut videt horrendum latè caput; ut pavor omnem
Exanimat; pallentque genæ, & secum ista volutat:
Ah quid ego in tantum exitium moritura puella
Coniiciam me ultrò? lacerabo cerva leonem
Hunc ego sopitum quamvis? non viribus istis,
Istis conveniunt animis, quæ nec ferus ausit
Flos juvenum, triplici constet cui robore pectus,
Cui totum in mediis ævum defluxerit armis,
Vulneribusque. quid hæc radiis assueta, colisque
Dextera atrox tentet, quæ carpere vellera, quæve
Novit acu mutis tantùm dare vulnera telis?
Ut sopitus, ut extinctus: tamen iste timendus
Est mihi, prò quantum! viden, ut terrorque, furorquè,
Et metus, & rabies, et vultu turbida torvo
Funera eum circà volitant? cadat irritus ensis:
Tum quid ego? quò circumfusis undique castris,
Et sola, & Virgo, & voto decepta? leænas
Tuta magis tunc errem inter, sævosque dracones.
Ah Judith, Judith, sic tandem oblita tuorum?
Sic oblita tui? quæ terrent funera? durum
Usque adeò ne mori est? neque contrà territat empta
Vita metu, & letho longè lux turpior ipso?
Non hoc, non te animo montana Bethulia misit
In facinus magnum: non hoc passi ultima cives

Orabant, non hoc pueri, innuptæq; puellæ,
Matres, atque viri, quibus hoc caput imminet, & quos
Jamdudum condi aspicias tumuli instar ab ipsis
Ruderibus patriæ, & tectorum ardere favilla.
Ergò ego ut extremam pestem, excidiumque meorum
Et videam, & vivens videam? & potuisse recorder
Consulere? & lucis sprevisse cupidine victam?
Avertant mentem hanc superi. sedet ire, animamque
Impendisse meis. occumbam læta, sed hosti
Occumbam haud impunè meo. dabit hic mihi pœnas
Improbus antè, dabit; condar, condamque ruina.
Quamquam ò si magnus celsi Dominator Olympi
Me infando eripiat præsenti numine letho:
Ductorisque velit turbari funere castra;
Hoc ipsum aulæum, conopeaque inclyta, multùm
Texta auro, ostroque, & gemmis ditissima, sacris
Jam voveo suspensa tholis, spectacla futuro
Sint generi. ergò id agamus; & intempesta favet nox;
Et faciles dat sors aditus. mihi militat hostis
Ipse, gravis somno: super omnia militat æther
Ipse mihi. i dextra, i fœlix: somno, æthere, nocte
Uteris; i, pietasque animo pietate recedat.

Ergò tuta Deo, tandem implacabilis ardet,
Attollitque animos, stratoque propinqua refixum
Denudat vagina ensem: tum lumina cælo
Advertens supplex, non cassa in vota vocavit
Imperitantem axi, dèque imo pectore fata est:

Nunc nunc, summe Pater, vires, animumq; ministra
Tu, mihi, tu ingentem. videant, spectentque, quid una,
Auspice te, belli, atque irarum nescia possit
Fœmina. quid possit manus hæc, te authore, rubente
Fulmina qui dextra moliris, & ardua telo
Deiiciens, Orbem terres latè igne trisulco;

Qui

Qui Oceanum, campos, & mænia sternere iturum
Omnipotens cohibes, frænoque includis arenæ.
Si tibi, si nitido cadit hostia plurima templo,
Plurimus atque aries auratas imbuit aras:
Affer opem, nostrumque leva cum vulnere vulnus.
Qui fastum insanum, mentemque, animumq; superbum
Insequeris, perdisque super: fortesque lacertos
Intendens, soliosidentes sæpè Tyrannos
Deiicis, affligisque solo: da sternere colla
Assyrii ducis, & fædare in sanguine crines.
Fæmineum tu firma animum, tu dirige dextram
Imbellem. tua jussa sequor: tua jussa tuere.

Dixerat, & crines læva capit, atque reflexum
In jugulum dextra capulo tenus abdidit ensem.
Tum latum ingeminans vulnus, manantia tabo
Colla secat. vomit ille animam, vinoque, cruorique
Immixtam, truncusque Holophernes linquitur ingens.
Vincis io, Judith: sed non tibi. non tibi vincis,
O Judith. audin, quæ jam crepuere curules
Per Cælum? cernis pompam, fastumque superbum
Inscendentis ad astra? benè est, concede triumphum
Virgineæ Genitrici. illa illa ad sydera victrix
Infertur, debellato quæ funditus Orco
Edomuit mortem, ac posuit de morte trophæum.
Ah Virgo, ah Mater, tibi Juditha prævia lusit:
Te magnum signabat opus tibi sternitur ultrò
Assyrius prædo, atque acies vertuntur ovantes.
Nam stygias tu acies, prædonem tu quoque Ditem,
Nequicquàm horrendum, meliori sorte dedisti
Exitio, nostrumque genus vi diripis Orco.
Ergò age, tende polum: decet. en convexa reclinant
Iam se oneri, & dandam accipiunt radiantibus auris.
Hic solium dat habere tibi super, & super astra

Conſpicuum, ſublime, tuum genus. is ſibi junctam
Vult latus, ac dextræ meritum concedit honorem.
I, Diva, & tecum hanc animam rape. quid mihi dulce
Te ſine? quàm videam mœſtos decurrere ſoles!
Diva age, & hanc animam rape tecum. non rapis? ultrò
Poſt te præcipitat; ſequitur ſine corpore ſolem
Vmbra ſuum, fulcrumque tuis ſe greſſibus inſtat.
Annue tu tantùm placido, ut mos, numine: tantùm
Da, ſequar. ò tunc qualis ego te ad aſtra ſequutus!

DEIPARAE

In Cœlum assumptæ.

Tu quoque carminibus nostris, Jesseja Virgo,
Immortale decus, mortem eluctata reponis.
Quantus io assurgit Pindus tibi! quantus Olympi
Assensus geminat missas ad sidera voces!
Ista dies agitare choros, ut cernis, & omnem
Ire in lætitiam numeros permittit ovantes.
Lux eadem festas inducit postibus umbras,
Et jubet innupta prætendere tempora lauro.
O Solyme, o colles, o quæ libanitides auræ
Insuetum nullo duci de more triumphum
Miratę: qui me vestris modò sistat in oris?
O illos remeare dies lucemque beatam
Qui sinat, adversoque retexat sæcula fuso?
Ecce autem miræ redeunt solennia pompæ,
Maternique sonant currus: vos ite quadrigæ,
Ite polum celeres: patuit via; jam vocat axis:
Jam cantus; en sideribus plaga secta: neque ullus
Sol negat insuetis insuetos cursibus ignes.
Extremi modò ne pigeat fastigia mundi
Scandere; quamquam adeo tantum promittere culmen
Nulla pererratis ausa est prior orbita seclis.
Hoc opis est vestræ. vobis ea semita molli
Assurgit clivo: vestros manet ardua nisus.
Me quoque non alio sperem conamine vatem
Tollere humo, lucisque aliquid meruisse canendo,
Quàm si Virgineos sudet mihi musa triumphos,
Ac memoret, quæ dextra rotas, currusque sonantes

Informabat: ubi superas tranabat ad arces,
Nulli nupta parens, nec gnati nescia Virgo.
Atque operæ pretium est magnæ, me vincere verbis
Ingentes vel opes, vel quæ præstantior ipsas
Vicit opes operis ratio: quo syrmate, quove
Tecta auro, & qua Cælituum spectabilis unda,
Major morte sua nati solia alta petebat.
Sublimi faciem quà sol obvertit olympo,
Et superam nostris partem prospectibus aufert:
Est locus, horarum statio, mensisque fluentis,
Annorumque, dieque. Domus discedit in aulas
Innumeras, æquè, & flagrantibus ignea gemmis,
Æquè auro, æquè ardent penetralia clara pyropis.
Ipse dies, mensisque Faber, nec non Faber annus,
Horæ etiam, ut perhibent, heroum ornare triumphos
Hic solitæ; si forte datur lætissima cæli
Sidera victorem majori scandere laude.
At superum Regina super nubemque, diemque
Candida Divini accedit si limina Nati:
Tunc omnis labor impensus, solisque fodinæ
Tunc exhaustæ omnes: purum seu quæritur aurum
Seu nitor argenti, rutilæ seu gratia gemmæ.
Nec mora, nec requies. hic horæ syrmata longo
Maturare jugo. tollunt hic secula currum.
Fit sonitus. vigilant non fracta diuquè diuquè
Cuncta operi, effunduntque artis miracula summæ.
Principiò Cyclas deducto illuditur auro
Aurea, quæ ex humeris latè sinvosa, supernè
Curreret usque ad humum, & corpus superaret habendo.
Pensa fluunt, refluunt; ictuque laborat in omni
Docta manus vivunt jam lanæ: & mille per artem
Mentiri incipiunt radio simulacra magistro.
Ardet opus, textumque diem vomit inclyta palla.
In medio sedenim nostræ cunabula gentis,

Aura-

Auratum nemus, & nemori quæ omni imperat arbos,
Extulerant; (sed tu nulli formosa vireres.)
Namque super notam infraudem pendebat opaco
Squameus à ramo serpens, vocemque ferebat:
Fæmina compositam prona vocem aure bibebat.
Tunc alia capitur conjux uxorius arte;
Atque ambo inter se læti poma improba mordent:
Necdum etiam aspiciunt à tergo pallida fata,
Tartareasque cavo properantes litore pestes.
Ergò diversis alibi jam scæna recedit
Frontibus.abjecti vultus: amissaquè regna:
Ambo inopes, curtis incincti pellibus ambo.
Fæmina sed corpus, vivo circumflua sole,
Sideribusque caput, colubri cervice reflexa,
Hunc secura sui planta terit. ille veneno
Rumpitur, & nigrum torquens in vulnera dentem
Nequicquam insidias calci meditatur honesto.
At parte ex alia Judæas ordine gentes,
Regnatasque urbes, genus atque ab Davide magno
Vsque ad solicitos confecta ætate parentes
Addiderant. procul hinc, mirum! sine lege videres
Enitique senem effætam, sobolemque senili,
Ah sobolem regnaturam astris, pascere lacte.
Proxima dein latè apparent salomonia templa,
Auro templa superba, minasque æquantia cælo.
Ante fores ipsas tunc autem in limine summo,
Pendebat nitidus tunicis, mitráque Sacerdos,
Ima tenet, dubio signans pede rura, puella;
Nec minus una suo contendere ad ardua nisu:
Et stupet interea celeris vestigia Mystes,
Surgentique favet pronus, monstratque lacertos.
Hic quoque sed parte ex alia Matanius heros
Ducit eam, & sicco sylvam de cortice tollit.
Sed pudor, & pudibunda fides, & nescia flecti

Virginitas toto tum spargere lilia campo,
Et violæ vim puniceæ, canumque ligustrum:
Nazarioque sedent in limine. desuper omnem
Æthra domum denso radiorum proluit imbre.
Sed media de luce ferebat jussa Tonantis
Aliger, os, habitusquè super mortalia visus.
Olli stat contra devexo lumine Virgo
Territa: nec facilis promissæ cedere matri;
Donec servata novit cum Virgine Matrem,
Laturamque gravem se numine numen ad auras.
Pronuba tunc passim transcurrunt sidera cælo,
Sidereique chori; sed enim sub rupe cavata
Infantem, ah stipula in fragili connixa reponit.
Vultu tum demum invito ridere December;
Nec Zephyri tantùm verevocat aura; rigentis
Et Boreæ picturatos alit halitus agros.
Jam fuga; jam per noctem ignota tenere viarum;
(Ah mihi ne rumpant teneras saxa aspera plantas)
Jam septemgemini tanguntur litora Nili.
Tu ruis omnigenum Memphitica turba Deorum,
Inachis, & Serapis, frustraque latrator Anubis.
Ipsi virgineæ subducunt culmina plantæ
Elati montes: ipsæ se flectere pinus:
Ipsa etiam puerumque Deumque juga alta sonabant.
Hic tandem insueto nig rescunt stamina luctu.
Pro tristi Mater transfixum robore Natum
Flebat; eam rupes, & eam nemora alta dolere
Visa simul: fletusque ultrò sociare leones.
Ipsos penè etiam gemitus picta ora loquuntur.
Ante pedes autem magni monumenta furoris,
Quadrifidæque cruces, & multo sanguine cæstus
Vndantes, sertumque horrens, clavique rubentes,
Sparsa jacent vulgò, fletuque rigantur inani.
In manibus, puero quam olim lætissima Mater

Per-

Perpetuo tunicam texto sudarat habendo,
Ah laceram, ah multo stillantem sanguine tractat
Attonita, ultoremquè suum sibi voce vocabat.
Tum subitò adversas hilarat victoria partes.
Scilicet indignam mortem jam morte subacta
Rex hominumque Deumque abigit, lucemque resumit:
Candidus ad superos redivivo corpore tendit.
Hic videas tollentem oculos, lacrymasque per ipsas,
Luctu de medio surgentem in gaudia Matrem;
Cumque subit cælo victor, cumque advolat astris:
Illam obnitentem contrà, manibusque sequentem.
Hæc studio inter se referunt dum molliùs Horæ
Fæmineo; ingentes alibi sudore secundo
Attollunt currus invicti viribus anni,
Inque gemunt operi: totus longe adsonat axis.
Incubuere omnes. alii fornacibus aurum
Supponunt: argentum alii. pars fundit electrum.
Nec pars non gemmas præforti diluit unda,
Berillosque, Onychasque, ignescentesque pyropos,
Et cyanum, & tandem nequicquam adamanta tenacem.
Crescunt auratis tabulata argentea costis,
Instar montis opus: spiratque in signa metallum.
Ergò quà tollunt adversa sedilia frontem:
Jonios intra fines, ac litora tethyn
Ire jubent, fluctusque sua canescere concha.
Vicinum hic Pindum fugiens Achelous, in æquor
Limosos aperit latices; hic nomina perdit
Cũ fremitu: ex quo humiles pelago tolluntur Echinæ.
Propter eas (nam fracta fides) Solimania bella
Condebant: & mille gemunt in carbasa venti.
Hinc acies, atque hinc acies, nec viribus æquis,
Verrere Neptunum tonsis, fluctusque secare,
Proque omni aspicias omnem concurrere mundum.
Hos Oriens Cypriæ successu cladis ovantes

Mitte-

Mittebat: flammas domibus, templiſque ferebant:
Chriſtiadæ contra pro relligione ruebant.
In celſa Selimus puppi celſiſſimus ipſe,
Leva tela tenens, dextram projectus in hoſtem
Stabat. eum circa rabieſque, minæque, furorque,
Funeraque, & fruſtra vetitæ periuria linguæ.
At pius Auſtriades, patrium cui ſidus ab omni
Fulgurat ore, paremque animum par gloria tangit,
Protendens primùm ſuperis ante omnia dextram,
Juratas aras, libertatemquè monebat.
Nec mora: concurrunt magno ſtridore carinæ,
Roſtraque prætexunt roſtris. furit æſtus aquarum.
Terror utrinque: utrinque cruor. bombo tonat æquor
Horriſono; æratoſque globos, mortemque ſonantem
Sulfurei erumpunt ignes. nox funditur atra:
Et piceus craſſa Titan ſub nube laborat.
Cernere erat permixto undantem ſanguine pontum:
Seminceſque viros unà, tabulaſque revulſas
Vela inter fluere, & laceros ſine lege rudentes;
Donec ab omni alacres cælo ſonvere phalanges
Virgineæ, totoque ruit ſuper æthere bellum.
Irrita quid contra Mahomes ſibi tela coruſcat?
Quid ſciſſo pallens revocabat Delia cornu
Agmina? conjurant venti, Neptunus, & aer
Periuram in claſſem, bacchantiaque agmina vertunt.
Ipſe Selim furiis etſi ſuccenſus, & oſtro,
Pallenti viſus ſimilis, ſimiliſque furenti
Terga dare, & laceram victori linquere claſſem:
Victor vertentem premere, atque incendere claſſem.
Dein ope barbarica, prædaque orientis onuſtus
Lintea laxabat ventis, reditumque ſacrabat:
Teque potens ſuperi, DIVA, æquoris, & tua molli
Trita jugo laureta, ſacras veneratur ad aras:
Parietibuſque virûm galeas, criſtaſque comantes,

Ener-

Enervesque arcus, & frustra armata veneno
Spicula figebat voti reus. at nova pubes
Sacrificis fulgens tunicis, & divite bysso,
Ture vaporaret cumulata altaria donis:
Et mensis cererem,& calathis inferret jacchum.
Tum lecti passim pueri ,integræque puellæ
Æquari numero,sertisque, rosaque recenti
Tempus odorati discurrere compita læto
Cum sonitu, læti conceptum dicere carmen.
Verùm alibi ingentes exhaustæ marmora vulgò
Templa dabant venæ Nomadum: sacra Numine tẽpla
Virgineo;pendentque tholis donaria crebris.
Ast una ante alias facili super addita clivo,
Divitibus mœrorum adytis, cultuque vetusto,
Surgit sacra domus.populi statuere superbam
Parisii:montique frequens dat nomina Martyr.
Huc Lojoliadum globus impiger, & bona bello
Nullis etsi tunc legio producta maniplis,
Cogebat sese,templumque arcemque tenebat;
Solenni Genitrix cultu supera alta petebat.
Poplite cernebas positos, aramque tenentes
Ductores bis quinque ducum, qui carmine certo
Pro se quisque animam, libertatemque sacrabat.
Regina è solio spectabat læta; neque illam
Altera castra juvent magis,aut magis altera bella.
Jam summo incumbunt operi: sunt ultima curæ.
Cumque rotas torquent obnixi, tympana nulla,
Non radios trivere: etiam tunc igne trisulco
Fumantes glomerant magnis conatibus hostes.
Ergò diversi suras, turpesque lacertos
Ludibrio explevere rotas, furor Euthychus ingens,
Parque Dioscorius turbo, par pestis Arius,
Nestoriusque ausus scelerata profundere verba:
Ausus deque sinu Divinam abducere prolem,

Im-

Impius at fecere putri te viſcere fætum,
Paſcẽtem colubros, flammaſque animamque vomentẽ.
Talia Cælicolum propriis ſudoribus anni
Inſtabant Reginæ: operiſq; ſuprema tenebant.
Natus (enim curæ ſtimulant Genitricis) ab alto
Poſtquam maturos operum reſpexit honores,
Patrem hæc affatur: O noſtri ſanguinis auctor,
O Pater, immenſi nutant cui pondera mundi,
Quo Deus ipſe Deo: gnati conſidere dextra
Das Matrem, Genitor? da tandem: & debita mecum
(Quandoquidem annueras) capiat conſortia regni.
Iamque dies, alterq; dies, & tertius, ex quo
Exanimis niveo poſuit nivea ora ſepulcro.
Aduenіat nunc aurato, ſine, ſidera curru,
Tota quidem; corpuſque, ex quo mihi corpus & ipſi,
Vltra auræ, cœlique orbes ſublime locatum
Aſpiciam: nullaq; mei mors parte triumphet.
Dixerat, infuſuſq; vltrò complexibus, ignes
Aſpirat notos, liquidumq; inculcat amorem.
Cui Genitor: quò Nate, rogor? num non tibi noſtra
Olim fuſa omnis facti, infectiq; poteſtas?
Vtere te; matremque breui modò funere victam
Duc age, duc ad nos repetito corpore ovantem.
Namq; olli mea dicta manent, ſemperq; manebunt.
Illam equidem ſolio conſpectam iura ſuperno,
Infernoq; orbi iubeo dare. tempus in omne
Regnaturam illam cernent conuexa: tibiq;
Vna latus Genitrix abs te altera iunxerit. hac ſtant
Numina; iuratoq; excuſſit numine olympum.
Natus ad hæc lætum gremio caput extulit aureo:
Extulit, vt numquam Oceano pulcherrimus amne
Cynthius, argentei ſeu diues Lucifer aſtri.
Luminibuſq; ſemel ſupera agmina circumſpexit,
Atque iterum; edicitq; novam, nova gaudia, pompam:
Stent

Stent animis,plausuq;adsint,Matriq;parent se.
Extemplò sonuere tubæ. concurritur.unà
Et quæ dimidiæ iusto sine corpore vitæ:
Et quibus est mentis vigor omnis, nullaque partis
Incrementa,dies nullo superabilis æuo,
Conueniunt numero ingentes. ante æquoris undas,
Ante comas nemorum,numerumq; libystidis actæ
Condiscas. pictis legio discurrit in armis:
Læta sonat: læto cumulantur mænia cultu;
Męnia, quæ Omnipotens iam tum sibi condidit: altum
Dum mare,dum terras,cęlumque rotabat opacum:
Męnia,quæ tantùm crescunt super ardua nostris,
Quantùm nostra solent alto decrescere cęlo.
Rerum namque pater sub mundi margine fertur
Hic urbem posuisse sibi, hìc sibi maxima regna:
Aulam hìc, hìc proceres,gentemque dedisse beatam.
Panditur vrbs felix duodeno limite; portas
Margarito totidem ex solido, fabrèque polito
Tres Oriens, Aquilo tres, & tres aspicit Auster,
Tres etiam qui sol tardo decedit Olympo.
Postes in summo scribuntur nomina regum
Magnorum. ipsa quadro urbs omnis diffunditur æquo.
Et pro ruderibus,pro fictilibus cæmentis
Infodit gemmas,& Iaspide mænia duxit.
Quin etiam Omnipotens plateas, & compita latè,
Quale vitrum, quod fortè nitens duratur in aurum,
Sternebat. sine sole dies,sine tempore tempus.
Sęcula stant: nullique ferunt bona temporis orbes.
Et iam picta phalanx vacuum librata per æquor
Succedit terras,& pennis nubila tranat,
Ordinibus densata frequentibus. anteit agmen
Patre satus magno, ac toto omnes numine supra est.
Ibat subuectis elatus nubibus: ibat
Sole suo diues. mille hinc glomerantur, & illinc

Indi-

Indigetum, certantque oneri summittere colla.
Tempus erat, quo cana sinus aurora rubentes
Versat, odoratos inducens floribus hortos.
Tum summæ primùm crescunt venientibus arces:
Mox æquor maris,& terrarum:flumina deinde,
Tum lacuum,nemorumque noto nutantia terga.
Ipse Thabor, Libanusque ipse, ipse & apricus Amani
Vertex, & vitrei latices Jordanis, & omnis
Incipit apparere Sionia. namque ubi celsa
Terga Sion ponit subducto vertice in æquor,
Antrũ erat,antrũ ingens. tumulũ hìc de marmore tellus
Extuderat:templumque ingens,aurumque parabat.
Quod potis,interea fouet officiosa sepulcrum
Flore nouo,lectosque Arabum succendit honores,
Nequicquam; neque enim tanto diuturna superbit
Deposito: & nequicquam avidis contendimus astris.
Iamque propinquabat legio,tumulumque tenebat;
Continuò Eois sonor vltrò frangitur oris
Improbus;& sonitu ex medio, nimboque sub ortum
Dissiliente,nouæ,mirum,erupere quadrigæ,
Longum opus annorum:sudataque syrmata, & aura
Bis saturata auri,medias arsere per vmbras.
Tum longum post se sidusque diemque trahentes
Currere quadriiuges, quò nisu millia certo
Agmina se campo sistunt,urnamque coronant.
Obstupuere omnes,oculisque ad singula pendent.
Fortè mali terras si feruor sideris vrget,
Aut violam,aut niveum torrens per rura ligustrum;
Tacto decumbunt, æstum culpantia,thyrso
Gramina. multa fluunt veteris vestigia formæ:
Multa manent; seruatque suos quoque funus honores.
Non aliter nitido Jesseis condita saxo
Pallet suaue, albentque decoro funere vultus.
Ecce autem oppleri redivivo sanguine venæ;

Ecce

Ecce autem jactare nouæ præludia vitæ
Cor semel, atque iterum, vix parte est mors super una.
Namque Deo natus gentili pulcher in astro
Turmas incedit medius, tumuloque propinquat;
Et qua voce chaos potuit depellere rebus,
Et posset qua voce chaos redducere rebus,
Inclamat: Mater. veluti quem desiit usus
Aurai, mediamque tenet pallore sinistro
Vitam inter mortemque, viam: si albentia in ora
Offundis gelidam: calor ora, colorque recurrit
Extemplo: atque oculis diuersa tuentibus, haurit
Amissam assiduus lucem, gaudetque reperta:
Sic ubi non ignara soni, præsentia verba
Hausit ab aure Parens: lethum citò depulit omne,
Direxitque solo vestigia . quantus ab illo
Oris honos? quanto radiarunt sidere vultus?
Vt primùm rediuiva oculos Gnatoque, Deoque,
Expleuit, tendens lactenti brachia collo,
Nate, diu nullo, dixit, mihi funere rapte,
O ades, ò Matri semper bonus. hic simul arctos
Ibat in amplexus: simul oscula sueta petebat.
Sed manus interea superum lectissima, circum
Seruitio feruens spirantia syrmata collo
Circumdat, relegitque sinus, orasque crepantes.
Ipsa diu mirata operis molimina Magni,
Et rerum, & longum decorum mirata tenorem,
Tandem humeris sua fata aufert , nomenque futurum:
Conscenditque simul Nato lætissima pompam;
Pondus & hæc edocta suum per inane repentè
Tollit iter, rectumque tenet sub sidera cursum.
Insurgit subitò lætum undique , & undique carmen;
Respondent ad læta poli: montesque profundi,
Conuexique sinus, atque antra sonantia longe
Respondent. nulla pereunt tot gaudia parte.

Atque

Atque simul tendunt currus sublime: canentum
Multa manus Superum sequitur: præit ordine multa:
Multa utrumque latus circumfluit. ecce decoram
Cernere sub lunam pedibus, solemque rotantem
Iam datur: atque datur, summis magis orbibus ire.
Pompa volat, superestque omni clarissima Phœbo.
Hæc inter Genitrix ridentia lumina cœlo
Aduertens(geminatur enim collata voluptas
Corporis, atque animi) quod iam olim carmen haberet,
Aggreditur, renovatque suas ad gaudia laudes:
(1) Nunc mea mens vltrò terræ, cęlique potentem
Extollit: (2) laterisque imi qui est spiritus, unà
(3) Ex illo penitùs duxit sua gaudia fonte.
(4) Cui mea curæ, avidoque humilem qui diripit hosti.
(5) Quippe humilē Omnipotēs supera respexit ab arce,
Et seruile genus generi miscere supremo
Aggressus, (6) supra seruam convexa reponit.
(7) Nunc ego seclorum tardis voluentibus annis
Cui non dicta? neget quæ me gens fera beatam?
(8) Magnus enim magnis adeò me protulit ausis,
(9) Cui sanctum latè nomen: (10) cui plurima cordi
Est pietas: pavidosque sui, & divina verentes
Ore, sinuque fouens iugi solatur amore.
(11) Intendens idem ipse animum, fortesque lacertos,
(12) Disiecit tota penitus de mente Tyrannos.

(13)

(1) *Magnificat anima mea Dominum* (2) *Et exultavit spiritus meus* (3) *In Deo* (4) *Salutari meo.* (5) *Quia respexit humilitatem* (6) *Ancillæ suæ.* (7) *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* (8) *Quia fecit mihi magna qui potens est*, (9) *Et sanctum nomen eius:* (10) *Et misericordia ejus a progenie in progeniem timentibus eum.* (11). *Fecit potentiam in brachio suo*, (12) *Dispersit superbos mente cordis sui.*

(13)Ipſe idem arbitrio ſortes permiſcuit: atque hunc
Fidentem ſolio, plano mutavit: (14) & ima
Sede fatis tutum, non culmina iniqua petentem
Inuexit ſolio, ſuper & ſupera aſtra locauit.
(15) Quin etiã explebat cupidos dape languida pingui
Corpora: (16) ubi contra dites(jubet ipſe) ſuperbas
Paſti epulas epulis miſeri jejunia paſcunt.
(17) Tu uerò ante alios Iſráël maximus orbes,
Dilectuſque Deo; ſedenim de nubibus altis
Alta tibi ſoboles gremio eſt emiſſa Tonantis;
(18)Et fuerat memor iſte ſui, noſtroſque labores
Plus miſerans nimio, mortales venit ad oras:
(19)Quę data ſunt noſtris reſponſa parentibus: Abram,
(20)Abramiæque ſimul domui, quæ plurima ab illo eſt.
Talia dicebat, ſtelliſque inuecta ſupinis,
Quà longum ſinvoſo Iris produxerat arcum,
Tandem grande tenet felicis limen Olympi.

---

(13)*Depoſuit potentes de Sede*, (14) *& exaltauit humiles.* (15) *Eſurientes impleuit bonis*, (16) *& diuites dimiſit inanes.* (17) *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*, (18)*Recordatus miſericordiæ ſuæ.*(19) *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros* (20)*Abrahã, & ſemini eius in ſæcula.*

RELIGIOSI HOMINIS

Sacro SS. Magorum die Vota instaurantis.

SCHEMA

STate Deæ;neq; enim tempus glomerare choreas
Semper; & ad numerum Aonias impellere quercus.
Ite super finem Oceani:pelagoque remenso
(Si quis honos,aut si quis amor parvique Tonantis,
Officiique mei) ferte hinc,quos barbara mittit
Terra suos myrrhę primos,turisque labores,
Et prima intacto sudantia balsama libro.
Aurum etiam,argentumque,& quo ditissima tellus
Tota fluit Meroë,Panchaja tota metallo ,
Ferte agite huc ad nos;etenim cunabula multo
Hæc onerare dies cogit nos munere:cogit,
Nascenti conferre Deo par pignus amoris;
Qui nunc(quantus amor!) infans,sub rupe cavata,
Et Cælo,terrisque exul,suffultus aristis
Præduris,gelidas pellit vagitibus auras.
O auras,ò qui gelidas exterminet antro.
O æstiva ferat qui flamina.parcite,Cauri,
Parcite:enim teneros furere est qui lusus in artus?
Ite procul,longèque hoc toto absistite tecto.
Quandoquidem patiens rigidi stat sideris, altum
Qui mare, qui terras,qui sidera numine torquet
Omnipotens,hominumque,Deumq;immensa potestas,
Olli ego nunc iterum votum immortale sacrabo.

Huc

Huc mecum meditata olim mea munera, mecum
Ipſe feram: repetamque animi promiſſa volentis.
Quà tamen argenteo Jordanis flumine ripam
Stringit odoratam: pono ipſe ante omnia templum,
Templum auguſtum, ingẽs, Pariiſquè inſigne columnis.
Hìc latè circum vario de marmore ducam
Mœnia: & ætherias ibit mihi Memphis ad auras.
At verò interiore domus pro pariete, dextræ
Munus Apelleæ, pendent ſpirantia ſigna:
Proſpectuſquè nouæ paſcit vaga lumina pompæ.
Dextra erit ante alias nullo ſpectabilis oſtro
Pauperies, nullo tandem gemmata monili
Pectus. & hanc tenui cingunt jejunia vultu,
Injuſtuſquè labor, pannoſaquè ſemper egeſtas;
Læta tamen, chariteſque inter progreſſa beatas,
Flore manus niueas onerabit, tempora flore.
Sub pedibus fruſtra inſidias meditata, jacebit
Dira fames auri, rerumque immenſa cupido.
Imperio te hìc, Manne, exutum, ſuadentibus aſtris,
(Manne, decus clarum Auſtraſiæ, gentiſque comatæ
Regnator) laudeſque tuas ſimulacra docebunt.
Hac ex parte canit ter centum fàma triumphos,
Et domitas bello gentes, & maxima regna
Capta manu, excuſſumque armis victricibus orbem.
Tu medius populos inter, plauſuſque ſequentum
Quadriiugo invectus, ſpoliiſque oneratus opimis,
Læta triumphali ingrederis tua mœnia curru.
Verùm alibi verſa ſe oſtendunt fronte tabellæ.
Ipſe idem poſitis ſiquidem contrarius armis,
Et patriæ linquens fines, & regia tecta,
Incomitatus, inops Tiberini ad litoris oras
Sponte tamen, ſpretoquè venis generoſior oſtro.
Nec procul hinc latè pinguis juga celſa Caſini
Mittunt ſe: circum atque patent lætiſſima rura.

 Itquè

Itquè, reditquè pecus, notisque in saltibus errat.
Tu pecoris custos: &, te pascente, capellæ
Mixtæ ovibus carpunt salices, aut flumina libant,
Nec minus hinc saturæ repetunt præsepia: & ipse
Unam humeris ægram morbo regalibus effers.
Vultu tum demum Pluto secum ipse cruento,
Eumenidesque fremunt, arrectisque anguibus astant.
Exin læua tenet, nitidoque argentea curru
Virginitas vehitur. flauæ decus aurea frontis
Præfulget longè rutilo ex adamante corona.
Ipsa sedet Regina, albosque infrænat olores;
Et niueum decurrit iter: seu lilia campum,
Seu campum sternunt, quæ lucent lactea cœlo
Sidera; & argenteam velox rota signat arenam,
Mille hinc, mille illinc glomerantur Amazones, omne
Virgineum genus. approperant, plauduntquè triumpho
Velatæ tunicis, & puro tempora bysso.
Cypria quas inter forma pulcherrima virgo
Agmen agit: fortesquè etiamnum immittere tedas,
Nunc etiam Odrysias audet succendere classes,
Certa mori, se iterum flammis committere certa,
Quàm præda impuro cedat formosa Tyranno.
In medio mihi sed templo quæ jussa Tonantis,
Quæve hominum pia jussa tenes, nullumque recusas
Imperium: quæ dicta ardes componere factis:
In medio mihi tu Virgo celsissima templo
Stabis. eam videas & tergum præpete penna,
Et penna vinxisse pedes; astatque parata
Ignotas sive ire vias: seu quærere terras
Oceano in magno, gentesque, urbesque repostas,
Extremosquè etiam fluvios tentare; neque horret
Sivè, moræ impatiens, montes superare niuales,
Sive animam, quando imperium, quando ipsa vocat res,
Fundere, & injusto sub falce relinquere lucem.

Con-

Conſpicuam hanc auro, ſublimem in diuite gemma
Extundo: dextrumque latus non ſedibus æquis
Longa ætate ſenex confectus ſervat, & vltro
Crudele interea ferrum dextræ aptat habendo,
Ac gnati iugulo ſuper imminet. iſte parentis
Contra ante ora ſui patrium jugulo excipit enſem.
Ah genitor, iam non genitor, quid? natus, an hoſtis?
An petitur ferro celſi contemptor olympi?
Parce ultra: voluiſſe, ſat eſt. quò pergis, & inſtas?
Proiice tela: tuus, tuus eſt nam ſanguis in illo.
Te perdis, ſpemque ipſe tuam, columenque ſenectæ
Et genus, & gentem infinitam perdis in uno.
Parce, Pater, fedare tuo te ſanguine dextram.
Eſt tibi ſi quis amor: ſaltem fuit aut tibi tantæ
Si quis amor ſobolis: miſerere. en aſpice, ut omnis
Hanc ipſam in ſobolem domus inclinata recumbit.
Sed tu perge; tuum certant in ſæcula nomen,
In nomen ſimulacra tuum. celebraberis uſquè
Magnanimos ſuper heroas ter maximus heros,
Qui patrem pater ipſe negas, natumque, genuſquè.
Tum demum immanem productis cornibus aram
Conſtituo pretioſam auro, niueoque elephanto.
Mille mihi hic longè funalia cerea flammis
Collucent: & mille tholo donaria pendent.
Ipſe ego virgineæ præcinctus frondis honore
Dona feram. videor jam nunc mihi ducere pompam:
Et videor ſolenne iterum nunc fundere carmen.
At vos, Cælicolæ magni, gratiſſima verba
Accipite. & vos teſtor enim: vos numina cœli
Jam mihi magna voco. tandem hæc audite precantem;
Dicam equidem, quæ bis modulor mea vota quotannis:
O Pater, ò idem Rex omnipotentis Olympi,
Cui minor excuſſo ſuccumbit vertice mundus,
Qui ventorum animos, fluctuſque refringis aquarum,

Ipſe meo tibi limo adſum circumdatus: adſum
Mortalis: nec laude, nec ullo dignus honore.
Scis etenim, ſcis ipſe: tuos ut noxius ultro
Aſpectus, multoquè oneratus crimine mentis
Te fugerem. verùm iſta fero, Pater optime, quæ me,
Debita me poſcit pietas: jurà omnia poſcunt.
Accipe propoſitum mentis, ſtabileſque tenaci
Conceptas animo curas: vetus accipe fædus.
Vos, Superi, hæc inter: noſtris & tu quoque cæptis
Adſis, ò Superùm præſens Regina; neque vnquam
Auſpiciis jurata tuis hæc irrita ſunto.
Si modò libertas, ſi me malus abſtulit error:
Deſpexiquè meum quondam nomenque, genuſque:
Si fluxis hærebam opibus: ſi cæca voluptas:
Aut ſi non ullis unquam tractabile juſſis
Ingenium rapuit, ductæquè audacia frontis;
Ecce pedem refero hinc. ſedet, immotumque ſedebit;
Innumeris quanquàm ſe volvant orbibus anni.
Hoc demum manet, atque alto ſub corde repoſtum eſt:
Rem perituram, animique omnem præcidere tabem,
Illecebras, aurique famem, mentemque protervam.
Tellus ante mihi, ut potiùs precor, ima dehiſcat:
Ante animam hanc condam præreptam funere acerbo,
Quàm toties decreta animi promiſſa refigam.
Hoc ego te, Omnipotens, hoc & tua numina iuro.
Tango aras, proprioque tibi me fœdere iungo.

ALOI-

ALOISIVS ORIENS

Carmen, die eidem indigeti sacro, cum Vota nostri Iuniores in Collegio Neapolitano instaurarent, ab uno ex his ipsis recitatum.

O Dea, cui prima ante alias est cura, laborque
Scire potestates astrorum, ortusque, situsque,
Erroresque eorum varios, & limina certa;
Quin etiam cura est, Heroum fortia facta
Plaudere, stellato devinctam crura cothurno;
Si venit augustas niveus Natalis ad aras,
Paruaque si magnæ veniunt ad carmina cunæ:
O Dea, cognatum cæli decus, hoc age, & ultrò,
Vranie, ipsa veni; neque enim pro Cælite, fas est,
Musam aliam pulsare, quàm eam, cui nomina cælum
Dat sua: pro Pindo in laudem cui cessit Olympus.
Ipsa veni, & pura fulgens in veste sacerdos,
Sacra da Apollinea, & manibus fer lilia plenis.
Sed me, qui rupi nuper vagitibus auras,
Et sum à lacte recens musarum (laurea proinde
Nulla caput circum decorat: nec digna sonamus
Phoebo, sed primis tantùm lactescimus ausi s)
Parce, per egregias laudes, maioraquè ferre
Acta virum. ò me ne subeat tam cæca cupido,
Te ut juvenem ingentem, magni decus ætheris, & te
Magni orbis decus, heroum jam laudibus aptum,
Te, Gonzaga, canam. non hanc ego currere arenam
Ausim equidem: non, si audendi foret auctor Apollo.

Sudent has metas alii, queis mascula virtus:
Qui, quantum labor exuperat, poscitque virum res,
Tantò animis contra invicti præsentiùs audent.
Hi mittant hæc se in spatia: his lectissima Mantus
Progenies fama totum mittatur in orbem.
Scilicet eximiam ut stirpem de regibus altis
Duxit: & exiguo decori est tam grandis origo;
Vtque etiam patrio cessit fastuque locoquè:
Ac sortem infra se statuens, hòc maluit alto
Se natum solio, ut solio descenderet alto:
Hòc regno, hòc opibus, ut regno, opibusque remissis
Paupertas foret arbitrium: sorsque illa placeret,
Quam legeret: quam sceptro emeret, trabeaq; relicta.
Hæc atque his majora canat, cui spiritus acer,
Hanc inflare tubam, & nomen tam grande sonare.
Me infantem infantis potius sat lilia cunis
Spargere erit: sat erit, mentem puerilibus orsis
Ferre parem, magnamq; in paruo quęrere laudem;
Et sepè in parvis magna est solertia rebus:
Nec tenuis laus in tenui. Iamque ecce frequentes,
Ecce alacres Nymphas, iustam quas Mincius amnis
Extulit in sobolem, & vitreis sibi tollit in undis,
Naïadas, doctas omnes, seu carpere malis
Pensa manu, siue ore habiles inflectere cantus.
Nascenti sedenim puero redolentia latè
Mittunt dona. hæ sutilibus vincire corollis
Electo de flore rosas: hæ lilia, & ipsam
Carmina pulsuram demessæ Baccharis herbam.
Addunt pars animam violę pallentis, odoram
Caltham alię, Casiamq; Crocumq. ah sistite, Nymphæ,
Sistitè, Mynciades. quò uos? quò munera vestra?
Blanditias cui istas? hominum ò mens feruida semper,
Mittere se spes in vetitas, falsosque triumphos.
Ite ergo, ite Deæ, cæsasque ab stirpe cupressos

Ge-

Gestantes,cultuque habituque nigrescite toto;
Et vaccinia nigra, & ploratos hyacinthos
Spargite, quid statis? grauior Deus excidit omnem
Lætitiam,cunasquè dedit mutare sepulcro.
Namque ubi conniti tempus, primoque labore
Exercet Lucina sinus:dolor vndique matrem
Excutit,atque acri conuellit viscera morsu.
Hæret enim fętura utero:nec viscera prolem
Exvere, injustoue queunt se fasce leuare.
Gramina nil possunt felicia.Pęonis artes
Ne quicquam effætas vires præsentibus herbis
Solicitant.crescunt rapidi ipsa arte dolores.]
Ceu solet arentes stipulas excussa fauilla
De face,dum lustrat non prudens æquora Pastor,
Corripere, & paulatim auidam diffundere pestem.
At si eadem neglecta diu grandescit eundo,
Atque alia ex aliis arentia pabula cogit:
Tum demum replet arua rogo,victrixque per agros
Fertur,& undantes iactat sub nubila flammas
Immixtas agili fumo, crassoque vapore.
Attonitæ interea Nymphæ vacua æquora flammis
Stare vident: hauritque timor salientia corda.
Ah ne se in lucos, ne se Uulcanus in amnes:
Suspirant trepidæ rerum. Furit ille, fragoremque
Increpat horrendum. fugiunt volucresque feræque:
Respondetque cauis latitans in montibus Echo.
Hic si difflatura rogos aura incidat:ignes
Quos olim obrueret natos modò nutrit adultos,
Flammarumque magis fluctus incendit:& ipsa
Conspirat medicina malo. cui parserat ignis,
Collata populant opera simul ignis, & aura.
Non secus urgetur mater,non mater,ab ipsis
Præsidiis,ceditque in partem ars irrita morbi.
Ah Virgo infelix, quæ te fortuna fatigat?

Qui

Qui labor? & quæ te exercent præpostera fata?
Siccine, quæ fueras solio paritura, sepulcro
Fers uterum: gnatusque tibi nascetur in urna?
Stabat jam moritura, animam vix ægra trahebat
Semianimis, stragemque sibi, gnatoque parabat.
Attamen, ut licuit, languentia lumina cælo
Fixerat, & Sanctæ numen Genitricis adorans,
Non hanc nequicquam pia sic in vota vocauit:
Diva, maris præsens superi, quam supplice fluctu
Impositam molli pallet ferus Adria cliuo:
Per tua, quæ te circundant, laureta, per ædes
Ætherio vectas curru, & servilibus auris,
Per te ipsam, moremque tuum, miserere laboris
Non ignara mei. precor ò, precibus locus istis
Si superat, miserere. necem defende nec vnam
In me una. pereo mater; verùm ista perire
Quid proles meruit, quæ non dum vivere, non dum
Vesci auris potuit? pro me nil deprecor: ecce
Supplicio deuotam omni. sed differ in horam
Exiguam, ne eadem fonti insontique ruina
Incumbat, geminamque eadem dent crimina pœnam.
Si facis: & faciet sospes fœtura parentem,
Vt non vana reor; iuro te, altaribus illam,
Meque tuis statuam voti rea. nunc age, & istas
Aspira in lacrymas. sic te tua maxima proles
Maximè amet; sic extremus tibi seruiat orbis.
Talia dicentem, lacrymisque ea verba sequentem
Illam improuisus sopor occupat. Aliger hic tum
Per tenebras extemplo, & somnia Nuncius ipsi
Visus, & ista super sonuisse volantia verba,
Aliger egregio juveni par. aurea collo
Olli cæsaries, chlamis aurea, & aurea mordet
Quæ cinctura latus: manicasque sinusque crepantes
Dat fluere, & fluxu levibus colludere ventis.

Nym-

Nympha, tori decor Ausonii, mæstissima Nympha,
Macte animo. quam tu gemitu, votisque vocabas
Imperitantem astris, non est frustrata vocatus
Diua tuos. & quemnam hominum non audiit illa?
Illa tuo perculsa malo, placitura referre
Me præsens mandata jubet. tu hæc auribus hauri.
Quid trepidas? quæ vana animo discrimina voluis?
Pone metum, curasque omnes; satis omnia salua
Sunt tibi. mater eris nec paruo pignore mater.
Tu, cui depositam debes retulisse salutem,
Sis memor, & meritis onerare altaria donis.
Te vult incolumem Genitrix: atque amplius istam
Vivere vult sobolem: nec tantùm vivere, quantùm
Esse suam, quantùm esse sibi supra omnia curæ.
Mater ter felix mater, jam vita superstes,
Quæ petitur, minimum est accepto in munere munus.
Fortunata parens, qualem non conscia seruas
Interea tu prolem vtero! in quod culmen ituram!
In quantas laudes, & non imitabile nomen!
Hoc quidquid fuit exitii, quodcumque pericli est,
Anne putas factum sine numine? non licet illum,
Ceu reliquos, vivas auras spirare, priusquam
Natalem abluerit, quam duxit origine, culpam.
Quare age, cum primùm soboles erumpit ad auras,
Et medio benè tarda tibi lentescit in ortu:
Qua patet, & qua se exigua dat parte videndam,
Fac illam actutum mergi lustralibus vndis.
Candida tunc demum nullo cogente sequetur,
Lucidaque ad lucem veniet tibi læta; nec istos
Aut lacrymis, aut fœdabit vagitibus ortus.
Hoc cape virtutis specimen sublime: neque illum
Nequicquam tanto Superi dignantur amore.
Qualis enim hinc, quantusque venit! non iste suetum
Carpit iter: supra se auras, supra euehit astra.

Inci-

Incipiet cum primùm imitari verba parentis:
Tunc primùm incipiat terris,cæloque potentem
Reginam amplecti, paruamque iubere salutem.
Ast ubi certa solo fixit vestigia :tunc tunc
Incipiat calcare suæ fastigia sortis.
Non moveat sarrano illum qui fulgor ab ostro,
Non auro illusæ vestes, non limina Regum
Magnorum,nec opes aliæ,curæque sequaces.
Uerùm ultro(tu ne prohibe) sibi habere iubebit
Res humana suas.ipso sub flore juventæ
Atque aulam, atque auram, atq; atauis regnata vetustis
Mænia,subiectos populos,dulcesque hymenæos,
Et sortis quantum est lætæ,quantum invida vulgi
Carpere corda solet,cupidasque accendere mentes,
Contemnet:vertensque opibus,sceptrisque paternis
Libera terga, nihil cupientum castra sequetur.
Illum ipse hæc inter cura,studioque fovebo
Noctes,atque dies:ne criminis ullius aura
Imprudentem afflet: non illo intacta columba
Candidior,nix non illo,non lactea cęlo est
Quæ via;vel nostro valeat certare nitori:
Vt si mortales auras non carperet: ut si
Gestaret toto secretum corpore corpus.
Se tamen ah quantis,& si integer, addere pęnis
Gaudebit! quoties humeros quassante flagello
Circumfusa bibet lactentes terra cruores!
Tu videas, fletuque pauimenta ista refuso
Abstergens,crudelem ipsum sæpè ore vocabis,
Incassum;nam pænis plus ipse audet inausis
Formosum ver annorum,viridemque juventam
Obterere:audet enim stellatos ferreus orbes,
Vsum in cornipedum, stimulat quos cursor, equorum
Subiicere astricto lateri calcaria, & ipsam
Exhaurire animam, penitasque excindere fibras.
Adde

Adde famem, quam sæva diu jejunia pascunt.
Adde latus fultum asseribus, somnosque cubili
Insomnes duro ductos. Etiam adde quieti
Fraudatas meritæ noctes: commercia Cęlo
Iungit ubi in longum mens altis excita curis.
Cuncta quis expediat? quam tu isto pignore felix
Italia: à superis proprium si hoc pignus haberes!
Sed non ille diu terras: iam debitus astris
Ille diu. inscendet citò sidera: non tamen ante
Quàm generosam animã, generosæ occumbere morti,
Devoveat, redimatque necem nece, funere funus.
Ergò quid cessas felicibus addere terris
Cęlestem sobolem? subeat demum alta propago,
Ter tantò proauum decus exceßura. salutis
Tu Authorem interea venerans, ad templa memento
Sistere tę, justumque aris imponere honorem.
Dixit, & in verbo nimbis se immiscuit atris:
Et simul excussus felix sopor. Illa metumque
Spemque inter (quod magna solet peccare voluptas)
Vana putat, quæ vera probat: præsentiaque ipsa
Dona, diu multumque animo expectata volenti,
Ex vitio desiderij distantia fingit.
Vt cum post longas hyemes, syrtesque morantes
Insperata patent defeßis litora nautis.
Seu cum sæva viæ carpens deserta viator
Metam improuisam protento lumine cernit.
Exultant animi, suetique laboribus, ipsam
Quam cernunt requiem, dubitant: magnasque fateri
Letitias, oculis ultro nec testibus, audent.
Vsque adeo, quem primò haurit mens ægra laborem
Seruat; & assuetis animum decedere vix est.
Ergò incerta diu, postquam viresque refectas,
Pacatosque uteri fluctus, mollesque dolores
Sensit, nil ultra addubitans, utrinque supinas

Efferr

Effert ad cælum palmas, & tanta salutat
Omina virgineamquè his demum affata parentem est:
Tam celeris? tam, Diva meo matura labori?
Tam præsens ades? & quas tanto munere grates
Persoluo dignas? salve mihi, maxima Diuum,
Atque hominum Regina. Genus quòd nascitur ex me,
Nascitur hoc quodcumque tibi; gnatusque parensque
Servitium in commune tuis astabimus aris.
Hæc ait,& pariter magnos accingitur ortus.
Hic puro albentes visi discurrere cælo
Flammarum tractus; Ortusque à parte sinistra
Auditus tonuisse ter axis.cuncta triumphant.
Candidior non unquam aliàs sol emicat undis.
Ipsam etiam(nec enim pars ipsa est parua triumphi)
Fatidicam Manto, successu prolis ovantem
Et maria,& terras perhibent lustrasse reductas,
Maturare suo justa incunabula alumno.
India Ebur,niueasque olli de cœlite concha
Margaritas, gemmasque alias,ditissima furta,
Quas mare, quas tellus, imo sub limine condit,
Berillosque Onychasque ignescentesque Pyropos,
Et Cyanum, & terris nequicquam adamanta repostũ,
Sufficit. Hesperia hinc auri,argentique metalla
In pondus magnum cedros & tu,Libane,altas,
Et tu mollis Arabs syluas excindis olentes.
Atque aliæ ex alijs puero,dona hospita, terris
Deproperantur opes. Manto usibus omnia confert
Læta suis,paruosque toros multum arte magistra
Constituit, summamque operi fert callida dextram:
Quam cum fert operi, cecinit sua carmina:& illi
Pennam excellenti rapiens in tempore cycno,
Inscripsit, fæciis oracla futura futuris.
Iamque propinquabant ortu data tempora:& ipsam
Iam facilem virgo Lucinam experta,ferebat

Præ-

Præclaram luci sobolem.una hæc parte patebat,
Ex maiore latens;nec primam tangere lucem
Vsquam audet,pertæsa suæ contagia culpæ.
Luctatur, refugitque diem,quem sordida cernat.
Non aliter candore nives longè anteit ipsas
Quæ fera:murem illam latium sibi nomine dicit.
Non hanc alipedis cursu captare molossi:
Non telo,aut longum vulnus mittente sagitta
Venator petere in prædam.venabula,casses
Substituunt sordens limus,fædæque lacunæ.
Hoc circum vallo,atque hac obsidione tenetur
Illimis fera;enim tanto sibi candor amori est,
Vt,quam non ignis,non tela minantia,sistat
Cœnosus callis, mauult quàm vivere fæda,
Pura mori, & lucem gaudet prò luce pacisci.
O Puer,ò lapsum cælo genus,ò amor orbis,
Nascere ne trepida similes mortalibus ortus,
Sorde graves:neque enim quæ nostris,ortibus astra
Invigilant funesta tuis.gravia omina terrent?
Nascere,quid terrent? mittunt in luminis auras
Sidera te diversa viden?duodena coronat
Virgineum quæ stella caput? quive ambit honestos
Sol humeros?nec non quæ pleno Delia cornu
Submittit niveis argentea sidera plantis?
Illa illa auspicium vitæ,decus illa futurum
Præmonstrant.valeat Saturni flamma,Jovisque;
Et valeat jam nunc inimicæ flamma Cytheres.
Te meliora manent;melioribus uteris astris;
Quippe tuis. succede,Puer,iam cognitus orbi,
Jam suspectus. habes Superos in vota fluentes;
Hinc tibi nam præcox candor venit;hinc tibi verè
Lactescunt cunæ. procul ò, procul impia verba,
Ditæ infelices;non hæc natalibus istis
Conveniunt. nil iste dies(tuus,est tuus omnis)

No-

Noctis habet, gemma iste dies signandus, & astro.
Decurrant longævæ alii spatia ultima vitæ,
Et multos annorum orbes, durentque labores
Innumeros, nomen missuri in secula magnum.
Tu magnum ut mittas, Lodoice, in secula nomen
Sufficies natus. multa hi faciantque, ferantque,
Dicant multa super. tu solum nascere; ab ipsis
Carceribus tu metam aliorum, & præmia vincis.
O vir jam ante virum, ò ante æuum grandis, & ipsum
Longè ante infantem, puerumque virilibus ausis
Maturus, magnos implens sine mensibus annos.
Ergò age si tantum tua te natalia fundunt:
Quid Manto cunas? statuat tibi maxima templa
Roma magis. Statuit: Statuemus nos quoque: quanta
Nulla ætas, nullis absumant orbibus anni.
Iam mihi surgit opus: jam summo machina cælo
Æquatur, Parioque nitent de marmore postes.
Ante fores supero prò limine ab usque trionum
Litore Lodoicus generis magni ultimus auctor,
Marmoreus stat: & ipse oculis uelut omne recenset
Hinc atque hinc fusum genus, innumerosque Nepotes,
Sceptriferos omnes, omnes solia alta tenentes.
Sed non bella omnes, non omnes tuta tenentes
Otia. & hunc Mavors superis æquavit: at illum
Candida pax, lætique dies, & mollia regna.
Assidet ex hac parte patri cognominis, Ocni
Qui primus solium tenuit, bello arduus. illum
Patriam obumbrantem, pellentemque urbe tyrannos
Nunc etiam nunc, aspicias, furere ore furorem.
Et parte ex alia natus paria arma sequutus
Tollitur: iste bonus, seu qui bella inferat ultro:
Seu qui illata suis propulset finibus. ardet;
Hic quoque vultu; at tu infelix Ferraria palle:
Guido te, te quippe furentibus obruit armis.
Dein alios æquè atque alios, quos extudit orbi

Gon-

Gonzagum genus in seriem, de divite saxo ,
Magnanimos pono heroas, lectamque coronam:
Perque simul latera, atqhe augusta sedilia circum
Ornamenta diu famæ, hic lituosque, tubasque,
Et clypeos, galeasque virum, cristasque comantes:
Ostro ibi confectas chlamydes, & nexa coronis
Sceptra, etiam passis de more per aëra pennis
Cæsareas aquilas, Gonsago à sanguine lætas
Sufficere Austriaco genus immortale Tonanti.
Sed medio in templo , quà perpetuam ex adamante
Tollo aram, sternoque solum latè hospite gemma,
Tu mihi, quandoquidem sic ingens nasceris, ipse
Ingenti fultus solio, pulcherrimus unus
Stabis, & excipient laudum te signa tuarum.
Hic prima ante omnes puro circundata nimbo
Virginitas, ebore in niveo desculpta, severum
Præsefert, manibusq; albentia lilia monstrat,
Parca sui, morisque tenax, & nescia flecti.
Sub pedibus, tandem atra metu, rabieque Cythera
Strata jacet: jacet atque infracto filius arcu.
Illa solo abiectos oculis aversa tuetur.
Tum latus adjungit, quæ laus est proxima, quamq;
Diique hominesque fovent, declive Modestia lumen
Fixa solo; frustraque oculos attollere fixos
Tentant præsentes, spectacula regia, formæ.
Tu quoque ades scissis nimiùm pannosa lacernis,
Paupertas. i, prode tuos lætissima vultus:
Qualis opes ultro abiiciens, parvoque tuoque
Arrides: sequiturque ingens te census egestas.
Tum peplo succincta brevi Diva emicat, in quam,
Diva, velis partem flecti mollissima. ab ore
Pendentem videas, corpusqne animumque parantem,
Quando sic placitum, properis ire ocius auris
Extra orbis, cælique sinus: post limina mundi:

Ad mare litoribus vacuum,terrasque calentes
Sole alio,aut nullo.jubeant modò: millia versat.
Ire hàc,ire illàc:supra infraque ante retroque
Et dextra, & læva:celerem tardamque morari
Currere. seu vox una vocet,revocetque repentè
Altera:sive adversa ferat:nolitque velitque
Penè simul;tum velle,& nolle ipsam:ire redire
Penè simul.præsto semper:totamque jubentis
In vultu,in nutu:rapere ore volantia verba:
Vocem ante audire,& dictum prævertere facto.
Ipsa putes jam jam simulacra ad munia ferri.
Non procul hinc,quæ se odit amans,quæq; assolet in se
Dura pium sævire,irasque ardere serenas,
Lassa sedet.macies faciem populatur honestam,
Spirantque effœti vultus jejunia longa.
Non epulæ sed enim dulces,non mollia vina
Instaurant illam;tantum ad convivia dura
Dimensam cererem,& synceros expedit amnes.
Ast hinc,ast illinc(media ipsa) incurrere sævas
Pœnarum cernis facies.hìc sanguine habenas
Stillantes:hìc ferri acies:hic dura catenarum
Argumenta:etiam hìc saga setis horrida equinis.
Ipsa oculis,ipsa hæc manibus durissima lustrat
Supplicia, & pœnas gaudet lenta ire per omnes.
Sed quà summa flagrant auro laquearia,& ipsum
Sole diem nolente vomunt:hic stamina ferre
Artis apelleæ tandem miracula discunt.
Imbre etenim subitò tumidum, nivibusque liquatis
Currere Ticinum jubeo,tacitumque sonare
Fluctibus,& virides muto æquore radere arenas.
In mediis sed aquis ipsarum pondere aquarum
Diffringi currus,partemque sub æquore ferri.
Ah puer, ah quanto præceps discrimine pendes!
Pallescunt telæ extemplò,pulcrumque timorem

Assi-

Assimulant conversa adverso brachia cælo.
In vocem penè ipsa, precesque erumpit imago.
Percussus gemitu Ticinus, arundine ab imo
Velatum caput amne levat; puerumque labantem
Vt videt: ut subitùm transverso stipite figit
Præcipites currus, & cursus frenat aquarum.
Dein cladis faciem alterius contraria fata
Mentiri tabulæ incipiunt, ille ægra tenaci
Nocte super media demittit lumina somno.
Mulciber incautum aggreditur fumoque rogoque.
Quò furis ignipotens? suetus contēnere hic ignem est.
Scit tua, scit conjux, quàm nulla incendia possit
Has quicquam fædare nives: prius urere magni
Contingat tibi stagna maris; prius urere flammas
Astrorum æternas, superique volumina mundi.
Sic reliquum mihi surgit opus, quod postera vincet
Nulla ætas: quod Pyramidum contermina Cælo
Culmina nunc etiam vincit, Rhodiumque colossum,
Et quæcunque olim miracula. Tu tamen ultra
Quid meus ah cessas? age tandem, nascere: habes jam
Pro cunis aras, parvo prò templa cubili.
Illa puer tu templa, illas tu protinus aras
Iam nunc Diuus habes, quas, nec post tempora longa
Florentes quo juvenes (Ignatia censet
Hos legio, Heroum mater) concepta quotannis
Inter verba manu tangent, & poplite curui
Teste deo, cælo teste omni, testibus aris,
Fortunas, thalamos, libertatemque sacrabunt.
Ipse vides, cæptisque tuis conamina plaudis
Proxima, sed spatio multùm tibi proxima longo.
Ergò ades, ò Lodoice; quis est nam terror ab ortu,
Dive, tuo? iam vitæ aditu purgatus, in ipso
Omnem utero labem, transfusaque crimina linquis.
Nascere jam. audimur. rursus tonat ardua cæli

 Por-

Porta: ignes subiti rursus cum sidere fulgent
Virgineo. O quę sancta pręis natalibus istis,
Diva fave. cedat felix, faustumque, quod instat.
Cedit: Diva favet. tandem subit aurea cælo
Magna dies. venerare diem istam supplice lauro,
Vranie, stellamque para ex melioribus, ortum hunc
Quæ videat. Iamque ecce moras, atque omnia rumpens
Vincula sive uteri, sive altæ vincula culpæ,
Lustrales per aquas, per vota audita, precesque,
Virgineo spectante astro, ter maximus infans
Bis venit ad lucem, niveusque allabitur auris.

DE-

DEIPARAE VIRGINI

Ad Consanguineam Elisabeth festinanti

PROPEMPTICON.

ERgò alacres sylvæ: vestros magna Hospita saltus
Ingreditur. reserate aditus nemora invia cœcos:
Et juga proceri colles submittite. vosque
Æoliæ si aliàs animæ liquida æquora pennis
Ullæ perflastis: nunc ò, nunc mollia flabra
Inspirate: juvat; neque enim isto verius unquam
Officium, nec causa ulla est vicinior æquo.
O Solymi montes, ò quæ spectacula vestris
Affulsere plagis! vos olim pulchra Virago
Ignotum scandebat iter. renovate vetustæ
Argumenta viæ: superat si fama; neque illa
Non superat, tempusque diu superabit in omne.
Dicite, quo cultu, quo Diua habituque, modoque,
Quàm festina gradum, quàm clari sideris instar
Per noctem discurrentis pura æthera flamma,
Cognatam ad sedem properans, vos transiit: eamque
Obstupuere tygres avidæ, sæviquæ leones.
Ibat prole grauis, nec prole gravata puella:
Ibat, & unà omnes incedere, quotquot honestæ
Sunt Charites: quotquot cives sunt ætheris alti.
Pro se quisque viam sternit, quisque æquora mollit
Flore nouo: mallentque humeros supponere plantis,
Dum sinat, & volucri corpus suspendere penna.
Namque heu qui sudor, quàm largus liquitur ultro

Virginea de fronte! ut lætæ electra forores
Plorarent hæc Heliades! ut balſama vellet
Hanc ſua Arabs lacrymā, hanc fluerent ſua tura Sabæi!
Sed tu quò tandem celeris Dea? tanta viarum
Cui ſpatia iniuſto carpis ſub ſole? decoram
Ah ſol ne tingat faciem, invideatque per ipſas
Multò nunc terras meliorem currere ſolem.
Tu tamen inſano quamvis non ſueta labori,
Non luſtro triplici major, non aſpera Virgo
Pergis adhuc, nec anhelæ animæ faſtidia curas.
Saltem laſſa ſub hac mihi paulùm, Diva, reſiſte,
Laſſa ſub hac quercu ſaltem. vide: culmina quercus
Vſque ad humum poſuit tibi curva. reſiſte, cape auram
Hìc modicam aſſidens umbræ, parvamque quietem
Exhauſto indulge lateri, plantiſque deuſtis.
Aſpice, quas ſubitò circum juſtiſſima tellus
Fudit opes, requiemque hortatur. laſſa reſiſte:
Eſt mora parva: moram hortantur picta æquora parvam.
Hìc vernant æſtus: hìc transfuga ſyrius alget:
Hìc ludunt animæ: ſomnos hìc evocat herba:
Hìc ſylvæ, hic volucres, fonteſque, amneſque loquuntur;
Hìc, ubi concreſcunt nativo lilia lacte
Mixta roſis, mixta & violis, hic, Diva, reſiſte.
Poſt repetemus iter: minùs interrupta fatigant.
Quòd ſi vicini nemoris, Zephyrique ſuſurrus
Suadet inire breves ſomnos: da lumina ſomno
Victa brevi. tunc ipſe precor, tibi ſomnia mentem
Occurrant, non quæ falſa ſub imagine ludunt
Somnia, ſed læta, ac longi præſaga futuri.
Ecce manet, niveumque latus lactentibus herbis
Applicat, & preſſo cubito caput. eſt benè: dormit
Diva: benè eſt. & ego ſcio nunc, quæ ſomnia dormit.
Quæ mentem formæ incurrunt, ſcio. ſomnia mille
Occupat olli unus: nato omnis luſus in uno eſt

Hæren-

Hærentem jam nunc mammis, jam nunc ab eburneo
Pendentem collo, conantemque irrita verba,
Ludicra fert,ſed quamvis ludicra,dulcis imago.
Exultat gaudens animo, ſomnumque videtur
Æternum optare iſtum. hærent pulcherrima vultus
Fila oculis: ſomnique etſi ſub luce maligna
Viſa placent, nolletque iterum non viſa videre.
Verùm alias, oro, triſtes ne ſæva figuras
Nox ferat. occurrat rupes Bethlea,Thaborque,
Et qui mons olea veſtitur plurima,& omnis
Læta Palæſtini pars ruris. Golgotha at unus
Longè abſit: mons iſte unus mente exulet omni.
Namque hinc quæ luctus, quæ largi vena doloris
Erumpit! ſed ego iſta quid amens? ocior auris
Illa volat. volat illa: & adhuc vos ſtatis? euntem
Nec dum auræ, veris comites,deducitis? ite,
Flate hyemem æſtivam: Procyon,ſinite,oblatret. eheu
Quam citò ſubripuit ſe oculis,& condidit alto
Se nemori! quàm grata meis nunc ſcena receſſit
Luminibus! quid ago? neque enim poſſim ipſe carere
Longùm illa. placet,hoc poſitum conſiſtere ſaxo:
Dum redit,atque iterum ſua ſe in veſtigia torquet.
Tum caræ inſiſtam veſtigia. ſi ſit eundum
Aſſyrios latè fluctus undantis arenæ:
Si mare,quod curvis anfractibus aſpra Malea
Exagitat: ſi regnatas Aquilonibus arces
Riphœis,triſtemque æterno frigore Taurum;
Ibo, nec me lucis amor,nec funeris horror
Ullus me caro lateri abſtrahat. impiger ibo
Tela inter,cędeſque inter. non pallidus Orcus
Pallentem videat, non me ſua monſtra timentem;
Dum detur ſectari illam, dum corporis umbra
Pone regi. totus mihi ſi tunc ingruat Orbis,
Ingruat atque Orcus totus: non plura timebo,

Quàm ſi vana oculis aliena pericula noſtris
Det ſcena, aut ſomni facilis me ludat imago.
O liceat, ſuperique ſinant, veſtigia retro
Me tua luſtrantem lethum oppetere, atque ſupremam
Mittere poſt te animam, laterique affigier umbram
Vſque tuo. hoc unum liceat: nec noſtra deinde
Quemquã hominũ, aut quemquã vexabunt vota Deorũ.

DIVO FRANCISCO XAVERIO

Indiarum Apoſtolo ob Neapolitanam urbem à peſtilentia ſervatam.

FUneribus tu etiam noſtris, Ignatia proles,
Exoratus opem, nuper, Franciſce, tuliſti.
Dive, potens Orbis, quem Sol illuſtrat Eois
Parvus equis, curruſque lavit gangetide lympha,
En lauri, auritumque nemus Libetridis oræ
Me vocat: en ſuadent Parnaſſia flumina carmen.
Audio; at ipſe habilemque animum, mentemq; miniſtra,
Qui caneris. Tuque interea mihi callida vocis,
Muſa, repercuſſam cladem, & diſperdita morbi
Semina, ploratæque urbis redeuntia fata
Perſequere. ipſa Dicarcheæ contermina terræ,
Orbis honos, amor Heſperiæ, qua carior uſquam
Non fuit: aut toto plaga mitior obtigit orbe,
Parthenope ipſa rogat. duri moderamina curſus
Accipe: cupreſſoſque ſine ultrò inſerpere lauris.
Et jam ſæva dies aderat, quæ luce ſiniſtra
Proceſſit, jucunda Erebo. (non cognita faſtis
Excidat: & nullo dignetur ſacra lapillo.)
Atque aderat: cum certa Deo ſententia ſedit,
Dulcis Parthenopes æquata ſuperbia cœlo
Occidat: & patriis albeſcant oſſibus arva.
Quæ ſimul ut noſtri generis præſenſit acerbus
Perditor: ac tanti eſt olli data copia facti;
Exultare Erebo, cunctamque vocare malorum
Peſtem aliam, atq; aliã. nec non per ſceptra, per umbras,
Per Styga, per Ditem (digitumque hic ore momordit)
Urbis

Urbis in exitium ſe horrenda voce ſacravit.
Atque furens dicebat: Adeſte. moramur? adeſte,
Eumenides, genus inviſum, horrendumque parenti.
Adde gradum, Bellona; etiam peſtiſque, fameſque,
Et dolor, & curarum omnis numeroſa propago.
Heus quis erit veſtrum, ſuperas qui evadat ad auras,
Et ducens non auditam ſecum ipſe ruinam,
Omnia lethali complebit pergama luctu?
Quà Tyrrhena jugis circumdata lympha, decorum
Dat cratera: ſonantque modeſto litora fluctu;
Vidiſtis, quo celſa ſitu ſua mœnia cœlo
Inſerit urbs adeò? quæ inſana palatia pontum
Molibus infoſſis longè fecere minorem?
Vidiſtis, quæ turba virum? qui luxus, & auri
Infinita fames, ſcelerumque immenſa libido?
Hìc rapere, hìc turbare licet rem. fata ſecundant.
Hùc rabiem, atque odia, ipſas vos, noſtrumque venenum
Evomite. ah video promptos ad ſæva maniplos.
Sic placet. ite meæ laudis fundamina. celſam
Ite urbem, atque orbem veſtris incendere flammis.
Eſt mons, cui nomen veteres dixere Veſevo
Agricolæ. medium pulcherrimus occupat annus:
Et flore, & multo veſtitur munere Jacchi.
At medium ſcopuli arentes, & ſcrupea pumex
Deformat: jaciuntque atram picea ora favillam.
Hàc ſimul erupere omnes. furialis Enyo
Ante alias: præit hanc lacera Diſcordia palla.
Ponè fames rodens ſequitur ſua viſcera dente;
Hanc Peſtis, qua non ulla eſt truculentior Orco
Eumenis. ah quali properavit livida vultu!
Ardet in ore color, maculis interlitus atris.
Triſte ſupercilium, coma turbida: fronte ſedet mors.
In valles dirimit coſtas: & ſordida fædè
Tempus utrumque cavat macies. ſine corpore pendet
Cor-

Corpus: & immundo adlatrant jejunia ventre.
Non tam Scylla vorax: non tam rabiosa Charybdis:
Non mare, non fulmen, non flamma voracior ipsa est.
Exacuunt rabiem populatæ civibus urbes:
Desolaturis non est par faucibus Orbis.
Causa cibi cibus est: pariter necat atra, necisque
Tabet amore; suaque fames nutritur ab esca.
Se quoque dira timet. spumat virosa veneno
Per fauces, mentoque fluit. mille arida circùm
(Horrendum visu) prætexunt corpora bullæ.
Serpit in incessu, ac tenebrosa volumina raptat;
Ipsam se inspirat per lumina, perque nocentes
Tactus, perque animam, sua se in vestigia linquens.
Prima modum servant: nullum postrema; velut si
In nemore intonso sorti delapsa favilla
Cæca trahit vires, & surda pascitur esca.
Mox ubi adulta diu; sublimia robora latè
Invadit victrix: larices, quercusque ruina
Una eademque trahit. quin ipsum vertice cœlum
Quærit, & obscæno deturpat sidera fumo.
Non secùs insidiosa lues contagia celat
More suo. exigui dat se sub imagine morbi
Principiò. postquàm satis aucta est viribus: omni
Peste furit, potitur campo, stragemque minatur.
Et tantùm cædis numerum longè improba curat:
Assyrias quantùm conturbans Auster arenas.
Tum gravis & sociis fædo sic ore loquuta est:
At vos ite aliò: excidium mea munera sunto
Parthenopæ. faxo, eveniant miseranda vel Orco.
Jam non una animas stygio feret æquore cymba:
Classe opus. ò Superum nè quis mea cœpta retardet.
Dixerat, & torvo lustravit lumine campum.
Ver erat: & placidi nequicquam grata favoni
Aura soporifero mulcebat murmure campum.

Et

Et jam demesso lacrymabant palmite vites:
Et nemus omne novo passim florebat alumno,
Non decerpturis promittens poma colonis.
Conscia fatorum (quid enim ignoraret Erinnys
Crudele, infandum, nullis ætatibus ausum)
Remigium quatit alarum, quibus inficit auras·
Inficit atque etiam terras, & florea rura.
Tum nisu celeri, trepidantibus æthere nimbis,
It, quà Sebethi mordentia flumina ripas
Tyrrhenum argenteo craterem gurgite donant.
Et scrutata caput, liquido se proluit amne
Ter quater, & vitium latici dedit. atque furentem
Instillans labem tumido se condidit alveo.
Aruit extemplò fluvialis gramen acanthi,
Narcissusque, papaveris & flos. aruit omnis
Interfecta simul formosi gloria veris.
Ipsæ etiam tiliæque leves, tabulataque densa
Roboris, arbuteæque trabes, & maxima pinus,
Atque aliæ, viridis decusso frondis honore,
Stant toto horrentes, sylvestria funera, campo.
Invasit post tetra hominum mortalia tabes
Corpora. vix tangit venas, & noxia letho
Præcipitat: nullaque potest refringier arte.
Jamque adeò tota sine lege vagatur in urbe
Clade pari; nullumque modum fœdissima servat.
Millia quot volucrum deserto Strymone ad altum
Se Nilum referunt, scripto per inane volatu.
Quotque hyemis memores æstivo sole coruscant,
Et studiosæ operum, non æquis, farris acervum
Convectant formicæ humeris. latet agmine campus
Sub nigro, certantque oneri summittere terga.
Tàm multi cumulant densato funere cives
Compita: & aggestis sine nomine tota caducis
Sternitur urbs. (dictu indignum) miscentur in unum
Et

Et pueri,& primo signati flore juventæ,
Cumque viro coniux, pendentesque ubere nati,
Et, quibus exactum variis ætatibus ævum.
Dira suis plaudens cœptis inimica venenum
Acriùs inculcat,noxaque laborat in omni.
Jam strages,non morbus erat. timor omnia miscet.
Fit fuga; sed miseri sua secum fata trahebant.
Qualis ubi miles validam perruperit arcem,
Cominùs atque viam vi fecerit. omnia sævus
Proruit. in longum collecta haud temperat ira.
Sternit quemque manu. permixto mergitur æquor
Sanguine. res confusè agitur ferroque,rogoquè.
Sic mala florentem tabes irrupit in urbem,
Arreptamque imo convellit cardine. tota
Peste furit,nulli parcens ævoquè, locoquè.
Bacchatur. funus gliscit sub funere; & ipsam
Spirantes animam pariter, lethumque trahebant.
Ah quoties morienti accumbens anxia nato,
Ultima commoriens junxit suspiria mater:
Confusæque acies nigra sub nocte natarunt:
Permixtosque obitus cœlo misere supremos.
Una fuit caræ sobolis,flavæque juventæ
Sola parens,quo spes uno collecta tenebat.
Hunc ægrotantem,suprema hunc sæpè petentem
Auxilia, ingenti mater pietate fovebat.
Posteaquàm ossa calor,color ora reliquit: & omnis
Dilapsus decor, elusique eventibus anni;
Quid dixit,vel quid tacuit? crudelia primùm
Astra vocat,fletu interea gelida ora profuso
Ipsa rigans,ipsa ore fovens,ipsa oscula libans.
Mox ubi lamentis via facta,Silescite,dixit,
Dum querar, atque meo reddam verba æqua dolori,
O Matres,mihi vel luctus impendite vestros.
Quid moror ipsa mori? si nulla est vita superstes:

Si

Si meliore mei jam condor parte: quid ultra
Servor adhuc? uni servor quid lassa dolori?
Nate, pium nomen, nomen crudele parenti,
Quò nunc me referam? nunc quò te funera ducam?
Quis tibi erit tumulus? procumbit patria, & ingens
Gloria Parthenopes tumulo caret. ossa rapaces
Insultare feras, & mandere membra videbo?
Non ego tàm dirum facinus. mea viscera, Nate,
Quære iterùm: vivo condam tua membra sepulchro.
Excitus hæc inter votis, lacrymisque cadentum
Auroræ, Indorumque potens Saberius, urbis
Excidium ut vidit non extricabile: ut illi
Indoluit, gemuitque: Tibi nisi læva fuisset
Mens; monui, & multò antè oculis ea fata notavi.
Sera vides. victusque animi simul alta petivit;
Quà Regina Deum solio suffulta micanti
Auratas habitat sedes, radiatque corusco
Sole induta, caput circùm lambentibus astris.
Affuit extemplò, & pacato cernuus ore
Incipit: ò Regina, ruit, ruit inclyta muris
Parthenope, ipsa vides, tibi sacra. frequentibus hausta est
Undique funeribus, miserere. quis indè vaporet
Ture tuas aras, meritosque imponat honores?
Ultima lux agitur: miseris succurre. nec ultra
Passa loqui, surgit solio: Divumque corona
Assurgit, stipatque latus. Quà celsior æther:
Strata via est auro ex solido, gemmaque micanti.
Ducit: ubi triplici tollit se pariete sedes
Aurea. tres portæ: aulæ tres: tres tegmine ab uno
Distinctæ, junctæque domus. Deus, & Deus eodem,
Ac terno Deus in solio, ter clarus in ævum
Atque ævum, radio pariter fluit unus, & idem
Tergemino; ac se distinguit, nec diuidit ultro.
Vestibulum usque ipsum Virgo deducitur; exin

Sola

Solæ adytum explorat: ſoli pertingere fas eſt,
Et fari propiùs, reſponſaque mitia ferre.
Hìc Gnato occurrit, trifido qui fulmine dextram
Tunc armabat; enim ſceleratam perdere gentem
Auſoniam, ſcelerumque fibras convellere tendit,
Tendit & extrema Latium componere luce.
Flagrabant vultu ſpirantia lumina cædes:
Et circumfuſo flagrabant ſanguine corda.
Diva animi facilis, tantorum gnara malorum,
Cœpit, & his Regem dictis mulcere precando:
Nate Deo, & me nate, quid ultra fervidus urges?
Quò torques ultra non evitabile fulmen?
Ah precor, ah deſiſte. morari vota parentis
Nulla ſoles. deſiſte. ſatis non feceris iræ?
Qui pereat, vix jam ſupereſt. miſerere meorum.
Eſto, nil meruere; vides? (& veſte leuauit
Vbera) per precor hæc. nunquam ſi defuit iſtis
Nati amor; ah ceſſa, ac tandem miſerere meorum.
Ceu ſi turpis hyems contriſtans nubibus annum,
Aëra turbinibus repleuerit, aëra flammis;
Et riſus cœlo, lux & ſubducitur orbi.
Tunc ſi de gelido proflauerit axe ſerena
Fronte Aquilo, aut Caurus: fugiunt triſtiſſima longè
Nubila: ſolque iterum candenti luce coruſcat;
Et riſus cœlo, lux & redducitur orbi.
Non aliter Gnato ardenti ſub corde reſedit
Ira: ubi ſic fata eſt Mater, ſuetamque fauillam
Extimulat, vultu mulcens, verbiſque furorem,
Flammæ non ignara ſuæ. nil dicere contra
Paſſus amor, ſubitò fulmen dilabitur: atque
Corda refervescunt, ignique evincitur ignis.
Ergò more ſuo lactenti brachia collo
Implicat, & diæ properans cara oſcula matri,
Mater, ait, ne ultra. dum me miſerata precaris:

Ipſa

Ipsa jubes. i,Parthenopen,& mœnia serva.
Utere amore meo; nil matri filius obsto.
Nec plura. interea saties, finisque malorum
Nullus erat: tabesque magis præfracta furebat.
Cum Regina diu cladem indignata,Parentem
Actutum Indorum reuocat, mittitque malignas
Lustraturum auras, fontemque, & pessima tabis
Semina discussurum. extemplò jussa capessit
Lojolides, libratque celer se se æthere ab alto.
Ibat purpureo latè conspectus in ostro,
Prætexto Phœbi radiis,quod sidera punctim
Millia distinguunt. pariter fluit instita collo
Aurea per talos: opus immortale, ferebat,
Quæ mira Eoo quondam patraverat orbe.
Jamque propinquabat terris: urbesque salutis
Latorem sensere suæ,afflatumque serenum
Agnouere.noua læti spe assurgere colles.
Ipsæ lætitia sylvæ, craterque sonanti
Exultare vado: ac tabem dediscere cœlum.
Jam verò euentus alios, nullasque veneni
Esse sui vires, flatus nec posse nocentes,
Mærorem,ac rabiem inter demiratur Erinnys.
Quam tandem his ultrò Saberius: Improba,tantus
Qui furor,ò furia? & quæ tanta licentia mortis?
En age,cede loco: atque istas citò desere terras:
Quas si iterum. sed præstat sæuam protinùs omnem
Emendare luem,& dissolvere mœnia tabe,
Mœnia,quæ curæ nuper sunt credita nostræ.
Dixit,& afflatu sacro cœlum omne piavit:
Luctificumque mali misit sub Tartara fontem.

VIR-

Virtutem continenti labore optimè habere, otio pessimè corrumpi.

VIrtutem nutrit labor irrequietus, Amici:
Corpora ceù sanguis spirantia. mollia namque
Otia si robustum animum tenuere: repentè
Enervant, natosquè adimunt ad fortia sensus.
Otia, dulce malum, non tam præsentia Circes
Pocula mutarunt socios crudelis Ulyssei;
Ut partem ætherii sensus, diæquè fauillam
Mentis amant, humanum animum fœda otia nostrum
Deprimere, ac toto tandem deducere cœlo.
Stagnet lympha: situm ut subitò contraxit! ut ipsum
Aëra corrupit spirans lethalibus auris!
Illam pastores, illam Nymphæquè, feræquè
Odere, aspiciuntquè auersis vultibus illam.
At si eadem argenteo currens lata æquora fluctu,
Arietat obstantes scopulos, fractuquè recepto
Murmurat, & spumas jacit indignata sonante:
Purior electro latices tunc volvit, & agri
Regnatrix latè syluas, herbasquè calentes
Ditat rore suo. tunc & gratissima Nymphis,
Et pecori, & quem robusti domuere ligones
Agricolæ, aut quemcumque alium sol hauserit æstu.
Hinc jaceant fac aratra solo: fac indè virenti
Taurus agro accumbens depastas ruminet herbas;
Erosus non felici rubigine vomer
Accusat segnem agricolam, taurosquè morantes.
Sed si idem terræ longos inscribere sulcos,
Gaudeat, & fortes campo exercere juuencos:

M Ipsam

Ipſam jam, ſcabie poſita, mentitur & auram
Argenti, diueſquè ſui non luminis ardet.
Lesbia ne domini ſperet vindemia menſas:
Nec ſperet tentare pedes multùm hauſta Lageos,
Aut Thaſiæ quam dant vites, aut lecta falernis,
Siue agtis aliis: rigido niſi ſubdita prælo
Expiret liquentem animam, & ſe in pocula fundat
Illacrymans, perdatquè notas, & nomina prima.
Ipſa etiam Regum, quæ curant funera, & Orco
Partem aliquam fati furantur balſama, culter
Ni premat, atque altum abſcondat ſub cortice ferrum;
Lætos nequicquam ſuccos, & munera fato
Luctatura manes. Viuunt quoque vulnere ſaxa:
Quæquè ſub immani deformia rupe jacerent
Nullo in honore; tamen ſi ferro, ictuquè magiſtro
Formam hominis, formamve Dei componere diſcunt:
Donantur ſolio, magniſquè illata theatris,
Latè accurrenti populo ſunt ipſa theatro.
Arietis eoi natiuo fulgurat auro
Dux, viden? ille ducum. ſed quantis empta periclis
Vellera? quæſito quoties plus palluit auro?
Pertulit indociles Euros, Cauroſquè frementes,
Nomina tunc ignota: natantes pertulit Orcas,
Et breuia & ſurdos ſcopulos, Scyllamquè, Charybdimq;,
Æquoraquè alterno fluitantia jugiter æſtu.
Quin etiam igniuomos juſſit ſolertia tauros
Deuincire jugo: mittiquè in ſemina dentes;
Undè acies, noua bella, ſatæ: trux undè Gradiuus,
In meſſem veniens, populos ſubjecit ariſtis.
Ut videt æratas ſegetes, florentiaquè arma
Æſonides, campum ipſe ſuum non horruit: audet
Demetere, atque unus natis concurrere caſtris:
Undè honor auratæ pecudis, famæque futuræ.
Alcides multis fuit uſque exercitus undis;

Her-

Herculeæ tamen hinc vires: hinc æmula Diuum
Virtus, qua licuit ſuperas euadere ad arces.
Olli ætas durata malo. monſtra omnia vidit,
Omnia vicit. eum quamvis ſub tartara miſit
Haud molle Euryſthei imperium: ſub Tartara venit,
Infernoquè Joui doluit veniſſe. retexens
Quippe iter ad ſuperos, umbrarum fœdere rupto,
Ignotum docuit facinus, potuiſſe reuerti.
Quodue ulli haud hominum licuit, per pallida regna
Itquè, reditquè. parum eſt: audet magis, atque trifaucem
Vim canis, exuvias horrendas, vi abſtulit orco.
Cumque per Argolicas prædam deduceret urbes,
Sol radios preſſit pavidus: Reginaquè Diuum,
Quæ facinus voluit, timuit voluiſſe: magiſquè
Invidet immenſo partam de robore laudem.
Quid Cervam æripedem? quid monſtra volantia cœlo
Stymphalides, longè quas fixit arundine certa?
Adde Erymantheos ſaltus, Nemeæaque rura,
Lernamquè, atque aliis placatas cladibus oras,
Et famæ, & ſudoris opus. non meta laborum
Hæc tamen; & quoniam monſtris jam deficit orbis?
Ignauo non ſe patitur torpere veterno,
Cœlum adiit, mundoquè ingenti ingentia terga
Supponens, ſua facta tulit: rabidumquè leonem,
Tunc etiam terrorem aſtris, ut ſaltibus olim:
Atque aprum, atque hydræ fruſtra ſurgentia colla
Vulnere fœta ſuo. at non inter ſydera nota
Omphalen videt, aut pallam, fuſoſquè rotantes,
Et Zonam forti ſub pectore circumductam.
Sic eſt: enervat ſenſus inimica voluptas,
Credite; & heù quantum fortes ignauia mutat.

INNICO CARACCIOLO

Romana Purpura, ac Neapolitana Infula nuper Inaugurato.

CAlliope Regina, ſumus non ultima cura
Si tua fatidici vates: ſi Numina quicquam
Caſtaliæ poſſunt, auditquè vocatus Apollo:
Oh age, nunc ſublimem animum, vireſquè ſequentes
Adde; decet; nequè enim vulgo exaudita profano
Carmina ſunt dicenda. alium terit orbita campum:
Et noua mens inſueta agitat. tu perge, repoſtos
Da roris latices ipſos, quos unus Apollo,
Caſtalis una bibis. ſic te, tua gaudia, nunquam
Deficiant lauri: ſic nullo Syrius æſtu
Contriſtet viridi ſalientes æquore fontes.
Jam decuit, ſonuiſſe tuba: cum litora longè
Applaudunt Tibris: cum plauſibus aſſonat Echo.
Ipſa etenim ſeptem quæ colles incolit Echo,
Aura noui ut primùm radiauit amabilis oſtri,
Ut primùm deſignatæ fulſere curules,
Læta ſonans, anteit voces, & gaudia noſtra.
Fortunata dies, quæ murice candida, ſecum
Fert pleno fortunam alveo. tu, Diua, beatam,
Calliope, venerare diem. te baccare crines
Umbratam, juvet in tyria procedere palla:
Teque juvet miſcere choris; quos inclyta Siren,
Parthenope, ut potuit, magnos pro tempore Alumno
Dat modò: majoreſquè ſequentibus imperat annis.
Nunc ego, quò poſſim inter magnos me quoque vates
Tollere humo, & fama tardos tranſire nepotes;

Non

Non acies,non bella cano pugnata sub alto
Ilio,aut quondam terris pugnata latinis;
Palladiam nec classem,ausam certare procellis
Ante alias,ausam nouum iter monstrare per undas.
Arvorum non jura cano,nemorumquè: neque orbis
Alterius,quæ monstra mari,quæ sidera cœlo,
Mœnia quæ terris,hominum cultusquè,modusquè,
Atque alia,in vacuas labentia dulciter aures.
At solium,at fasces sacros, at suave rubentis
Ostri aciem,gemmeæquè simul retinacula mitræ:
At Te,Magne,cano,maiori digne camœna,
Innice. nam si quid sperant mea carmina: quà sunt
Parthenopæ,quà Sebethi sunt nomina nota
(Et nota illa quidem toto sunt nomina mundo)
Tu pariter toto cantaberis,Innice,mundo.
O me si tantùm producunt tempora: si me
Sera dies serum donat venientibus annis:
Si tantum aurai superest, tua dicere quantum
Facta sat est, laudesquè iterum longo ordine, famæ
Inculcare tuas; non me vel Græcia victum
Mœonide dicat: licet olli Delius ipse
Inflauitquè tubas,duxitquè per aspera bella.
Quamquā animus supra se audet:supra ultima quamquā
Tollit se, spondetquè ferox vestigia pressa
Nullius ante solo decurrere;Tu,cui noster
Sudat equus,nullumquè audet promittere finem,
Per laudum currens spatia infinita tuarum,
Ecquid eris vati tandem bonus? an tua magna
Nomina nequicquam jam nunc in vota vocamus?
Tu facilem per te cursum, Tu pronior auram
Indulge sub vela tuam; nec ponere culmen
Turpe puta,Tequè hæc ad vilia fingere magnum.
Excudent alii feliciùs ex elephanto,
Siue etiam ex auro signum,queis copia tanti

Officii fuerit: nobis de paupere ligno,
Sed ſtabis ſimulacrum ingens: non fulgidus auro,
Non alio, externum faciat quem lumen, honore;
At ſyncera fides, mos candidus, inclyta & oris
Majeſtas, non illa oculo porrecta ſuperbo,
Sed placida, & lenis, ſpretoquè ſimillima cultu,
Ornabunt: referentquè tuo Te ligna colore.
Et jam ter lævum intonuit: ter tractus amici
Sideris obliqua ſecuit purum æthera flamma.
Ipſi quin axes medii patuere, recluſi
Uſque ad fatorum ſedem, celſiſſima Mundi
Limina: dantquè viam. ſequar ò, quàcumque ſerena
Flamma vocas: ſanctamquè viam, monitoſquè penates
Ingredior, duce te: quamvis ſub luce maligna
Semita ſit: fugiuntquè aditus, & limina prima.
Namque umbris ſedes, & circum nocte frequenti
Obſtruitur, non ulli hominum ſpectabilis ultro,
Circumſpecta licet multùm, ſed ſemper inani
Cum cura, vacuos niſus ridentibus aſtris.
Figitur hìc ordo rerum: ſtant omnia certis
Hic expenſa modis. non ludit in arbore ramus:
Frons non ſternit agrum: clamoſa ad litora fluctus
Non venit Jonius: non ſibilat aura; nec ulla
Æſtiuam ſub noctem alto ruit æthere flamma;
Quin leges priùs, ac numeros adamante notatos
Unumquodque ferat. ſol ante fugacibus afflet
Occiduus Garamantas equis: priùs auſter ab arcto
Aſpiret, referatquè ignotos bruma tepores;
Quàm quicquam refluat: quicquam, veſtigia reddat
Sublapſum retro; ſemel ut ſententia ſedit,
Et fluctus rerum varios, caſuſquè fluentes
In diuerſa, ſuo tandem ſub numine fixit.
Non ſecus argenti fluitat violentia vivi,
Nunc huc, nunc illuc bacchantis more metalli.

Stare

Stare loco nescit: penetrat se in corpora corpus
Densa fugæ studio, perquè hæc elabitur ultro.
Si tamen herbarum succos, medicamina lenta,
Haurit, & aërios ad flammam decoquit ignes;
Tunc demum infundens inimica ad vincula plantas
Sistitur, & fixo cœpit torpere metallo.
Hinc etiam vitæ fatalis meta: neque illam
Contrahat, aut quicquam, cupidus licet, efferat ultra,
Rex, famulusve fuat. turritis mœnibus, agris,
Amnibus, hinc ipsis dantur quoque fata sepulcris.
Humanæ certa sortes vertigine volvunt
Se intereà: atque aliquis custos fit pauperis horti,
Aulæ alius. quin interdum, ludentibus astris,
Uno eodemque die cum lætis mæsta vicissim
Mutant sæpè manus. succedunt clara ligoni
Sceptra: ligo sceptris succedit. transit in ostrum
Penula: & interdum caula ipsa superbit in aula.
Usque adeo sors incertos luditquè, luitquè.

Ast ubi magna dies perfecto temporis orbe
Præcipitat, veneranda dies: decor omnibus unde est
Mensibus: unde recens refluo nitet annus ab auro,
Quæ Te felicem felici ostenderet orbi,
Et daret his primùm vesci vitalibus auris,
Innice; fatorum quantus labor, & mora quanta
Unus eras! ò mortali si reddere cantu
Hæc liceat: sanctisquè adytis (audacia nostro
Tantùm absit facto) gressus inferre profanos.
Ventum erat ad vitæ limen: cum protinus altos
Succesere lares Divæ, mortalia Divæ,
Quæ curant; ubicumque viam, seriemquè laborum
Quisque suam ingreditur. castra hic, & dura sequutus,
Gaudet equo, pictisquè ferox se jactat in armis.
Pacis hic, & justi cultor rectissimus oti
Imperio frænat populos. hic sancta tuetur

Jura foro,doctasquè iras,& jurgia vendit.
Nec non humanis aliquis, rebusquè caducis
Sponte migrans,Superum statuit se in sontibus aris.
Artes sic alias alii,sic fata sequuntur;
Illæ animos,cursusquè regunt;auriga ruentes
Ceu solet adductis currus regere acer habenis:
Ne fortè in præceps spatii abripiantur amore
Quadrijuges,docti Eleo sordescere campo.
Ergò certatum studiis in Te omnibus:aut hunc,
Aut hunc accipias cursum.Te bellica Virtus
In primis optat, causamquè perorat inanem,
Atque ait:O etiam superis veneranda potestas
Fatorum,an metuenda magis? sub numine vestro
Sunt etenim clari indigetes, umbræquè silentes,
Ac maris,ac terræ,ac rutilæ rapidissima flammæ
Corpora,cœli etiam liquidi. & dubitatur, in usus
Mitti quos deceat,quem vitæ auferre tenorem,
Magnam animam? nempe inflectat post mollia sensus:
Discat amare: horrensquè habitus,cultusquè severos,
Discat acu flauum calida torquere capillum,
Aut teretem versare trochum: probroquè perenni
Nunquam excedentem fines,ac limina nota,
Vna domus videat pariter puerumquè,senemquè.
Sed non hanc ductum genus à Majoribus altis
Ostendit,suadetquè viam. labor improbus,ardor
Martis, & irriguo surgentes sanguine palmæ,
Hoc decet; hæc dentur venturo in magna Nepoti.
Quare hic ad terras alio de sole rubentes,
Ad terras extra orbem,atque extra sidera nota
Pergat eques: durusquè malo sub martia cogens
Fortem animum, pulcram quærat de vulnere laudem.
Hæc ars ætherium patefecit fortibus axem:
Hàc iter ad nullo perituram tempore palmam.
At patrios servare lares,at condere soles

Desi-

Desidia,& natum uno eodemquè senescere tecto:
Non Deus ista viris. eat ergò,& acuta Gradiui
Tractet bella ferox. referat de Strymone magno,
Et septemgemini referat de litore Nili
Exuvias idem ingentes,quas indè Deorum
Affigat portis,præcinctus tempora lauro.
Seu vult extremos Indos,& Memnonis arva,
Arva auro,nimiumquè suo lætissima sole:
Seu vult aduersas Zephyri prædiuitis oras
Tangere, & exleges populos noua jura docere:
Siue animo quemcumque alium furit ipse furorem:
Spondeo, se quàcumque feret: super acta priorum
Ipsa illum referam: nomenquè,decusquè præibit.
Vincet Pelleas,vincet,me Judice,laudes,
Scipiadasquè auidos pugnæ,Fabiosquè morantes,
Annibalemque ferum, ausum excisis Alpibus Vrbi
Improuisam aciem,& victricem ostendere dextram.
Nec tantæ laudis deerunt exempla, sub ipsis
Nata oculis; quot enim ex hac una nomina gente
Inserimus nostris latè immortalia fastis?
Quot terraquè,mariquè duces? quot pectora famæ
Vulneribus conspecta suis. vos ipsa dedistis.
Sueta peto, repetoquè etiam. date cognita nobis
Nomina: enim quamvis istorum copia apud me
Magna satis: tamen iste omnes trascendet honore:
Cunctorum,nec vana fides,erit instar in isto.
Hæc Dea bellipotens gestuquè,habituquè furenti
Tunc etiam similis,magna spe capta,ferebat.
Nec minus intereà quæ Regum sceptra ministrat;
Quæ grauitate viros, & justis moribus aptos
Mittit in Imperium,manibus dans ferre seueris
Sertum hac, hac gladium,meritorum lucra duorum,
Exposcunt Te,spem laudum,cui,secla datura,
Non sperant, geminum, non proxima limina habentē.

Te

Te quoque venatrix Sophiæ rerumquè latentum,
Causarumquè ardet, clamosis addere dudum
Porticibus; scit quippe nouo sub corpore, quantum
Ætherii, partem diuini pectoris, haustus
Infundent Superi: undè Tibi is modò captus, & ista
Mentis firma acies, oculusquè per omnia missus.
Sic hæ, sic aliæ rursus contendere Diuæ
Pro se quæque sibi laudum incrementa tuarum
Sorte petens, instantquè, urgentquè morantia fata.
Ast una ante alias cœlo gratissima, non dum
Orsa loqui: postquam vidit perstare sorores,
Indignata: tamen roseo sic ore loquuta est:
Qui vos, qui vestras rapit in contraria mentes
Inconsultus amor? quidve alta silentia nostra
Rumpere, & immeritos defendere cogitis ictus?
Relligio huc adsum; neque ego huc fortassis adessem
Jam laudis secura meæ: nisi fata viderem
Prensari, laudesquè meas ab stirpe reuelli.
Tanta ne vos teneant farorum obliuia? tantùm
Exciderint, mihi quæ jam olim promissa dabantur?
Nec vos ignaræ: venturum deinde Nepotem,
Qualem illum, quanta egregium pietate, fidequè,
Cui mea sint curæ: qui me supra omnia servet,
Me colat, & præclaram animam mihi destinet uni.
Nunc ipsum exceptum sorti multò ante dederunt
Fata mihi. quid nunc alias sine tempore causas
Nectitis? & quisquam semel omina fixa refigat?
Nitimur incassum: addicta est merx: & mihi jure,
Hæc mea sunt, dico. faciant sic Numina laudem
Hanc propriam: & felix multos mihi viuat in annos.
Atque utinam pariles animæ, quæ luce fruuntur
Ætheria, tantasquè ferunt spes, omina tanta,
Turba forent. uno hoc dempto, quem prouida nostris
Usibus astra parant? & nobis omnia dura,

Omnia

Omnia nunc infesta. rigent nam secula, quantùm
Numquam alias alio riguerunt dura metallo.
Sacra, aræquè jacent. delubra frequentia multò
Pejus, quàm deserta. una est templiquè, foriquè
Conditio: illatæquè (nefas) in templa plateæ.
Mille etiam scelerum facies, & crimina mille
De me (quippe silent leges) impune triumphant.
Hìc dolus, hìc pugnæ, hìc nimiùm felicia furta,
Et luxus sibi nunquam par, & pallida semper
Ambitio, scelerumquè caput furiosa libido.
Si nunc, qui possit desuetum fundere in aurum
Extremos annos, concretaquè sæcula culpis,
Eripitur: Superos nec tangunt vulnera nostra;
Quando aliam nobis lucem promittimus? undè
Insperatam aliquis doceat sperare salutem?
Hic unus reddat, quotquot scelus abstulit. & jam
Hujus in aduentum jam nunc bis pallidus Orcus,
Ac totis Acheron furiis tremit. hic mihi lernæ,
Hic scelerum extinguet tandem, sata vulnere, colla,
Exæquans numero numerum cladisquè, maliquè.
Hic vir hic est, patriæ quem spondent sidera: qui olli
Sacra feret: legesquè fovens, ac jura, furentes
Placabit terras, & sancta his otia reddet.
At decus, at virtuti habiles quæruntur honores.
Quærãtur. quid enim? vacuam ne me honoribus unquã,
Et sterilem agnouere? quid est, cui talia frustra
Inducunt memores? sedeant, spectentquè: darentur,
Si majora alibi. jubeam splendescere sacro
Ostro illum, jubeam solio considere eburneo;
Undè honor augusto capiti: sancta undè recurvum
Dextra pedum accipiet, diuina munus ab arte,
Argenteum, paribus nodis, auroquè decorum.
Tunc effusa olli circum plebs omnis ab ore
Pendeat, agnoscatquè Deum ceu verba sonantem.

Nam-

Namque ubi primùm ætas teneris desueverit annis,
Mirariquè heros heroum cœperit acta:
Ille mihi subeat, septem quæ collibus, urbem,
Imperat: urbem equidem toto dictam orbe, mihiquè
Caram præ cunctis, quæ jura, & nomina nostra
Intemerata tenet, nostroquè ab numine tota est.
Centum illam heroes, centum illam lumina servant,
Sublimes omnes, omnes solia alta tenentes.
Hanc meus hanc petit haud ulli virtute secundus,
Succeditquè ultrò, atque astrum sese inserit astris.
Nos certamus adhuc? mihi adhuc contenditur ista
Progenies? cernuntquè hæc fata, sinuntque? parabat
Plura etiam; sed fatorum mox aura sequuta,
Plura vetat, campoquè statim cessere sorores.
Hinc Tu sacrorum Divæ datus, Innice: & ipsa
Te plausere datum tunc sidera, nec satis: orbem
Tunc etiam applausisse jubent. quin gaudia nostra
Præcipitant, omenquè docent multò ante futuri.
Fortunate, senex (1) hæc cui patuere: quis unquam
Transeat indictum? cui tu illaudatus abibis?
Fortunate senex, tua toto oracula mundo
Narrantur: tardosquè docebit fama minores.
Tu gradere interea sublimior Innicus astris:
I felix. votis alii fera sidera pulsent,
Ut nitido rutilent ostro; sublimia contra,
Ut nitido rutiles ostro, Te sidera votis
Solicitant, tardumquè vocant ad luminis auras.
Pigros anteeunt annos, & nomina mittunt
Jam tua: si nondum licuit, Te. nasceris Orbi
Magnus, & ignotas jam cognitus excipis auras.
Ipsæ Te cunæ accipiunt ingentibus ausis
Sepositum: jam tum sine corpore nomen habebas:
Et quantum, ò Superi, nomen! quæ, meta laborum,
Sunt aliis, Tibi ea infanti ornamenta dabantur.

(1) *P. Iulius Mancinellus.*

Muri-

Murice ſparguntur cunæ, chlamydemquè tuliſti
Tu Tecum: non acceptum, natum induis oſtrum.
Sed quæ hinc eveniunt ex ordine, quæquè ſequuntur,
Oraclum ſiluit: ſileat; neque enim uſus in illo
Eſt ultra. quiſquis de Te ventura deinceps
Noſſe cupit: veluti quantus ſis deinde futurus:
Quæ poſthac maneant: quod culmen culmine ab iſto
Scandendum Tibi ſit; ne is vatum oracula pulſet:
Tantùm Te videat: tantùm tua conſulat acta,
Et mores inculpatos, mentemquè tenacem
Propoſiti, ſublimem animum, mundumquè ſonantem
In nomen, laudeſquè tuas. oracula ceſſent:
Tu Tibi eris Delphi: Tibi Tu cortina, tripuſve.
Quæ geris, & quæ animo volvis ſublimia, præſtant
Non obſcura quidem de Te reſponſa petenti.
O nimiùm Superis, ò Lojolea propago
Felix viſa, decus quæ tantum prima ſalutas,
Prima canis, ſæcloquè aperis hæc dona futuro.
Anne alium ipſa paras vatem majora canentem,
Ac toti demum ſpondentem gaudia mundo?
Perge, para; tibi nam referant ſe grandia fata:
Nuncia tu aſtrorum. uni, dic, qui naſcitur urbi,
Sol modò, jam toti naſcetur protinus orbi.
Hunc age, ſponde orbi: tibi nec minus: aurea quippe
Ex illo quæ promittis tibi ſecula ſole?
Currite ducentes ea ſecula, currite Soles.

M. TVLLIVS CICERO

Prohibente fugam maritima tempestate, cum suorum hortatu Antonios milites fugeret, in istorum manus tandem venit, & à Popilio, quem reum parricidij olim idem Cicero defenderat, obtruncatus, fortissimè moritur.

Tullius adverso luctantes agmine ventos
Ut videt,ut volui cœcum mare sedibus imis:
Heu quid,ait,fatis obnitimur? en age,proram
Flecte,gubernator: malè fugimus. accipe terras
Servatas, nec servantes. has optima grates
Nempe mihi Roma. atque ipsa inter nomina Romæ
Ora senex maduit,gemitumquè excussit ab imo
Pectore. succedunt litus, terrasquè negatas
Accipiunt tristes. fervent fidissima circum
Seruitio pubes,luctuquè,æuoquè grauatum
Sustentant manibus. magni volvuntur aquarum
Ad terram intereà fluctus. ripa intonat omnis
Pulsa salo: crebriquè ruunt ex æthere nimbi.
Cuncta pauor,cuncta horror,& aspera cernere cuncta.
Vt primùm firmati animis: hostilia circum
Æquora prospiciunt,vestigātque omnia,ne quis
Occurrat mediùs,ne quis fugientibus obstet.
Est via cœca caua sub rupe,adituque maligno
Mittit in obliquum callem,nunc ardua cliuo,
Nunc humili depressa solo; nemora undique densa
Præ-

Prætexunt ipſam ramis,& robore duro.
Hàc placet occultare fugam. ſi fors ſinat,arma
Euadent cauti crudelia. non ſinat; ire
Nec minus, & Domini immeritam defendere mortem,
Aut mortem duplicare parant. jam mille viarum
Inuolvunt flexus,mille inuolvunt labyrinthos.
Ac veluti nemore in magno non lapſa fideles
Cerua plagas,fugit exultans, ſævumque latronem
Aſpicit à tergo inſtantem: fugit ocior euro,
Non illa in ſaltus notos,non illa patentes
In campos fert ſe trepidans. nemora invia quærit,
Quærit inacceſſa,& ſinuoſis orbibus errans,
Intricatque fugam,erroreſquè erroribus addit.
Non aliter famulorum acies per devia rura,
Per tortos calles,& per prærupta viarum
Lecticæ impoſitum fatorum ignara ferebat.
At quid mortales vincant nolentia cutæ
Fata unquam? fugienti dextram injecerat Orcus.
Quo fugeret? qua ſperaret regione ſalutem?
Vix fuerant iter ingreſſi: vix prima tenebant
Incrementa viæ, denſa cùm nube feroces
Adventare viros cernunt. hos cernit & ipſe
Tullius, & magno ore,aliis trepidantibus,hoſtem
Opperiamur,ait,nequicquam tela minantem
Nuda mihi: neque enim hæc poterunt in nomina noſtra
Mitti,vel noſtræ in jugulum deſcendere famæ.
Vtcumque hanc animam eripiant, meliore ſuperſum
Parte mei,quæ nulla timet neque tela,neque hoſtes.
Vixi,& quem non ſponte dedit Fortuna, dedi ipſe
Marte meo curſum mihi. patriam ego ipſe ruentem
Suſtinui,ingratam patriam. per me illa triumphet
Me ſine. Roma ſuos fines cum finibus Orbis
Jungat: ego patria,vitaquè expulſus, abibo.
Caſſus ego,per me illa potens; tamen immemor ætas

Nulla

Nulla unquam, hæc eadem nõ improbet improba facta.
Nunc moriamur, & has defecto corpore tollat
Exuvias hostis: famæ det cætera; namque
Stat mortem dignam me occumbere: pergere ad umbras
Stat generosam animam. non hæc me terra videbit
Vitam exorantem, trepidantemquè impia fata.
Ibo ultro extorquere necem: jaciamque supremam
Hostis in os animam. incassum, Fortuna, minaris
Incassum; non hac primum jactamur in unda:
Vidi, vici alias pro libertate procellas.
Talia dicenti miles super ingruit. ille
Impavidus cervicem offert, ulturus in ipsa
Morte hostem. & vindicta ingens infamia facti est.
Emicat ante omnes, instatque Popilius (ipsum
Tullius hunc olim convictum crimine, noxæ
Eximit, ingratumquè caput deducit ab Orco)
Nunc jugulum petit: ingenti sub vulnere ferrum
Nunc abscondit: nunc & sanguine gaudet amici.
Proh scelus infandum, diris placabile nullis,
Atrox, horrendum, plusquam furiale, Megera
Quod negat esse suum. potuisti, Barbare, in illud
Tu jugulum, undè auris modò vesceris, undè salutis
Vena tuæ, potuisti avidum demittere ferrum?
O furia, ò Tabes, ò detestabile monstrum,
Tu tantum obtruncare caput, faucesquè secare
Impensas tibi? quæquè tuo felicibus ausis
Lingua perorauit capiti, repulitquè secures,
Æternùm te authore silet? convicia, probra,
Quæ fugere in præsens speras? si carmina quicquam
Fellis habent: habet & quicquam stylus iste veneni,
Infundam omne tibi. accipient venientia sæcla
Te furiam horrendam furiis, stygiisquè timendam
Umbram umbris: te labem orbis, Divumquè, hominũq;
Eumenidumquè odium te ipsarum. barbara nulla
Gens

Gens erit,in te unum quæ non ter barbara tanto
Esse magis malit,sceleri quò digna reponat.
Te extinctum intereà crudeli funere,Tulli,
Fleuit Suada: ipsum Latium te: rostra,forumquè:
Te Tyberis fleuere amnes. sed Gloria,vindex
Funeris,æternam in laudem pia marmora vultus
Erudiit spirare tuos: dat corpore toto,
Dat vultu attolli: tristem dat temnere sortem:
Dat sedem heroum capitolia celsa tenere.
Hìc trabeæ circum,hìc fasces,hìc sella curulis,
Hìc etiam sermo,Charitesquè ex ore fluentes
Innumeræ,magnumquè sophos,plaudensquè corona.
Sub pedibus ciuilis habet Discordia,bellum
Hoste ferens vacuum,tequè,ò Catilina,furentem
Exagitat furiis,patriæquè in funera mittit
Nequicquam. sedenim videas occurrere pesti
Consulem,& indignos celerem difflare furores.
Non veteres proavi, non ornamenta relucent
Majores aliena: tuum tibi tu genus omne,
Omnis imago. uni tantùm,quorum inclyta facta,
Marce, sequebaris, circumstant grandia signa,
Cunctantes Fabii,Bruti,Decii,atque Camilli,
Atquè aliæ tales animæ. Pater ipse Quirinus
Lætitia exultans,& donans tempora lauro,
Te patriæ Patrem,servatoremquè salutat.
In te demum operis posuit suprema, Popili,
Gloria,monstrosumquè diu caput horruit. effert
Tandem eructantem flammas: dat crinibus angues,
Et geminas manibus tedas,& vultibus Orcum;
Extremamquè Erebo hanc,dixit,do vivere Erinnym.

MARCELLVS MASTRILLVS

Qui

D. Francisci Xauerij ope à deposita curationis vulneri repentè convaluit.

EXtremam hanc, Marcelle, mihi præcingere laurum,
Ac tua votivo percurrere vulnera cantu,
De quacumquè nites convexi sede sereni,
Suaue rubens ostro nimiùm viuoquè, tuoquè,
O amor, ò unum decus immortale tuorum,
Extremam hanc, Marcelle, mihi, da, cingere laurum.
Tuquè olim laudum tantarum jam ultimus auctor,
Tu maris eoi præsens, solisquè rubentis
Saberi: partem hanc etiam concede laboris,
Et facilem, & sueto paulò majora sonantem.
Hujus enim sors prima manet te carminis. abs te
Principium: tibi & hoc nostræ quodcumq; camœnæ est,
Desinit. ò me si ad notos deponere fontes
Musa velit, mentemquè, animumquè injecerit æquam.
Tunc improuisam, lucemquè Machaonis arte
Promeritam nulla canerem, reuolutaquè fata:
Cum tua lethales senserunt pharmaca plagæ.
Dicite vos, vos ipsa, quibus circumdamur ultro
Mœnia; vos testes ipsæ, queis vescimur, auræ;
Dicite, quæ morbi fuerit via, quæve salutis,
Quo subitò duri cessit violentia fati.
Nam rediit bona verba dies jussura profari,
Cui manet usquè suum semper decus. ipsa silere,
Ipsa vetat; nec non mos Patrum, aut inclyta facti
Relli-

Relligio, aut alius quiſquam calor. en ſequor ultro,
Pierides, ſequor en ultro: curaſquè ſeueras
Veſtris proluimus lymphis. ſinite addere laurum
Temporibus: ſinite, albentes redimire corymbos.
Sed tamen, heu lætam extemplò deponere frondem,
Quis jubet, & triſti violat laureta cupreſſo?
Prò dolor. in lacrymas rurſus mihi numquid eundum?
Numquid ab extremo repetam vulnuſquè, diemquè,
Ah qualem virtute virum qui tolleret, & qui
Noſtra ante ora illum letho fedaret acerbo.

Atquè adeo ſpes vitæ omnis ſublapſa ruebat,
Saucius atquè adeo librali tempora ferro
Marcellus, metam ille viæ, quæ proxima cœlo eſt,
Flore ſub annorum, ac ſpe non ignobilis ævi,
Tangebat nimiùm non juſta morte peremptus.
Et vitium quà plaga facit, latet altior: undè
Omnem operam longè ludit, gliſcitquè medendo.
Ex illo qui te luctus, quæ longa laborum
Te ſpatia, imperio ſuperùm, Marcelle, ſequuntur!
Principiò vigor ex oculis, color & ſuus ore
Defluit: exuccoquè genæ ſqualore recedunt.
Ipſi quin etiam (tabes nam funditus angit
Abdita) convulſi rapiuntur ſpaſmate nervi:
Una & quæquè ſuo pars vellitur ægra dolore.
Nec minus interea pingues ſine lege medullas
Eſt febris violenta, acriſquè exæſtuat: ex quo
Venarum non ſyncerus corrumpitur humor.
Tunc dulcis vitæ ratio deſpecta, nequè ullum
Munus adhuc ſuperat membrorum, almæquè juventæ.
Ipſi, non ipſi fontes, non dulcia frugum
Dona mouere animum. lenteſcit guttur, & ipſos
Poſſe negat latices. tantùm luctantur in ægro
Ore animæ, tumido tractim de pectore pulſæ.
Undè aliquis prædulce caput, pulcramquè juventam,

Æqualesquè dies æquali ex ordine ductos
Suspirans, lucem cupiat pro luce pacisci.
Insuper his laxas in noctes lumina somnum
Nulla vident; aut siqua unquam irrequieta, labore
Empta quies multo, languentia lumina libat:
Tum demum illudunt rerum mendacia menti.
Ire iter Oceano ignotum, solusquè videtur
Tendere nequicquam longo luctamine terras,
Vsque recedentes: studioquè infractus inani,
Suspirare operam, lentisquè insidere transtris;
Aut alias pelago adnantes, disjecta per æquor
Regna videt, falsusquè oculis occurrit Japon.
Vt ruit; ut cupida obnixus vorat æquora classe:
Vt sopor extemplò nisu euanescit in ipso.
Aut hic Auroræ populis simul undique in unum
Circum se fusis, cupidus cupido ipse theatro
Verba ferat: nec verba potest erumpere labris.
Ore hiat: & nullus sequitur de gutture clamor.
Illum hæc dejectum non paupere fletibus amne
Fleuit Sebethus pater: illum argentea Siren:
Illum auræ, illum arces, illum ripæquè, lacusquè:
Vitiferi illum etiam fleuerunt rura Vesevi.
Imò ipsa, ut perhibent, secum magis omnibus una
Indignata necem indecorem, cratere relicto,
Cincta sinus, habilisquè leues præcurrere ventos,
Parthenope, totas errauit perdita noctes,
Errauitquè dies, si quæ felicia terris
Gramina nascantur, lætos componere succos,
Decerptura manu. cretæum carpsit ab Ida
Prætenuem foliis dictamum, cardamon acre,
Mandragoram, Panaces, chironia centaurea,
Et quodcumquè bonum foliis, aut semine, vulnus
Ducere, & insanum valeat lenire dolorem.
Sed quibus in terris, & quæ tunc ora tenebat

In-

Intentam Saberi aciem: ne cernat alumni
Damna sui,mortiſquè potens fata aſpera rumpat?
Indorum cuſtos,Numenquè orientis amicum,
Lapſus tunc autem ætheria Saberius arce,
Extrema,ut fama eſt, Japonum regione ſedebat.
Hic varios undarum æſtus,hìc horrida bella,
Xongunii quæ mens ſpargit veſana tyranni,
Ne pietas,ne relligio labefacta fatiſcat,
Crebra videt,furiaſquè,metuſquè aut temperat: aut ſi
Auxilio eſt uſus,per tela inimica,per ignes
Labitur,& ſævos animos ad fortia tollit;
Nam ſuperat poſt fata etiam,viuitquè ſuperſtes
Et cineri primævus amor. jam turbine in illo
Nomina multa virùm data letho,multa triumpho,
Multa decus pariter cœleſtibus indita faſtis.
Jamquè aderat volvenda dies, quæ in prælia poſcat
Hunc etiam,obſcuro quem funere caſus agebat.
Illa dies illum magno certamine donet,
Et definitis victorem transferat aſtris.
Ergò aciem claræ Divus Sirenis ad urbem
Tendebat,properæ ſocium moniturus arenæ.
Vt vidit matura virum poſt fata ruentem,
Vt fugientem animam: riſit non neſcius olli,
Et,quis numen,ait,fixum,immotumquè Tonantis
Fruſtratur? non ſic,non te ſic aſtra repoſcunt,
Magnanime. ò quæ bella ſuper. ſic fatus, eoas
Deſeruit terras,ac ſe,vectoribus Euris,
Fert per inane,ſecatquè ingens Pater optimus æquor.
Jam tenet Auſoniam: tenet hanc puncto ocius urbem,
Has ædes: hæc & molli ſe ad mœnia niſu
Dejecit primùm, noſtroquè in limine ſedit.
O mihi quæ memoro liquidæ veſtigia noctis!
Quæve meos paſcunt oculos ſpectacula! vos ò,
Vos,illum quæ accedentem vidiſtis,& ultro

Aſtra inuidiſtis, ſi quis me ad lapſa referret
Tempora: ſi poſſem exactos vixiſſe per annos.
Pandite, Olympiades, jam vati pandite veſtro:
Qui vultus olli? ratio quæ corporis? aut quod
Murmur vocis erat? quo ſe dedit abdere cultu?
Quem beat? aſpectu cui tam noua gaudia portat?
Primùm ſe in faciem fingit, radiumquè ſequacem,
Quo micat in ſuperis, & magnos maximus anteit,
Diſſimulat ſtudio; tantùm filo ora ſereno,
Lumina nectareo tantùm ſpargebat honore.
Prætereà ætherium pullo velamine corpus
Limus obit, refluum in medioquem zona coërcet.
Pectus quin etiam, tergumquè exomide curta
Obvelat, dextræquè pedum decus addit habendo.
Quale procelloſa ſi quis jam ſoſpes ab unda,
Aut alia ſi peſte, reus voti aſpra viarum
Injuſto ſub faſce terit, peregrinaquè multo
Deveneraturus contendit munere templa.
Hos habitus, hunc ille virum, atque hæc ora ferebat.
Nondum nox aderat medio latiſſima cœlo:
Non procul hinc aberat: cum præſens Divus eoi
Per noctem tecta ægra ſubit. fugere repentè,
Obſcæni mortis comites, luctuſquè, metuſquè,
Palloreſquè, & viſa animos ludentia triſtes.
Continuò ignota dulcedine capta tenentur
Hoſpitia: occultoquè halat de fonte voluptas.
Ceu ſi forte domus ſecreta in parte batillum
Impoſitas ſervat prunas, gratumquè liquato
Ambare olens, tacitum hoſpitibus propinat odorem.
Principiò nulli viſus (ſe namque tegebat
Obſcura ſub nube) caput circumtulit heros
Ambroſium: atque illi quotquot lacrymantibus aſtant
Officiis: quotquot terris ſolennia dicunt
Verba profecturo, aut taciti ſacra carmina ſolvunt,

Igno-

Ignotus totidemquè oculis,gestuquè salutat.
Dein ægro propior vultus in funere fixit:
Et jam funus erat. Veluti cum rura recurrit
Alma dies: nec dum roseis Aurora lacertis
Roscida pingit agros. vicinæ ante omnia lucis
Albescit nox ipsa metu,venturaquè longè
Gaudia surgentis jam prædocet alba diei
Non aliter,letho se tunc referente,refulsit
Prima salus,animæquè labos,angorquè resedit.
Instat Cælicola,& cædem præsentiùs acri
Ore fugans,juvenem manifesta è nube vocauit.
Vt primùm vox est auri delata: repentè
Vis noua defectis infusa est artubus; undè
Excussit pigra membra toro, sequè impulit ultro
In latus,atrectusquè oculos,mentemquè ministrat:
Cui demum Loyoliades subridet,& infit:
Oh ita ne imbellis? te sic indigna relaxant
Otia,nec tædet? potes hoc languere cubili?
Ah potes? et letho tot spes occidere in uno?
Indià,& Oceanum,& truculentum nomen,Japon,
Lictor ubi? nunc ò nunquam trepidare labores.
Vise meos,nunc tempus. enim te fata docebo
Nunc tua: tu hauri animo,quæ nullus fixa refigat.
Hæc ubi dicebat (superùm quæ maxima vis est)
Mira offert spectanda animo,mentemquè,subacto
Corpore,fert secum abripiens,Atlantidas,Afros,
Oceanumquè super: nudansquè arcana futuri
Ordine queque suo,quidquid latè obstrepit undæ,
Rursus ait,quantùm patet æquoris,Oceanum hoc est,
Proh quantus,Marcelle,labor,quantumquè periclum!
Hoc spatiis te non justis manet æquor arandum.
Ne dubita; tua vela regam,classiquè sedebo,
Aura quidem,portusquè tuæ. sunt pallida monstra,
Sunt vada,sunt ventorum animæ,fluctusquè sonantes,

Qui te bis quatuor jactabunt ordine menses.
Tu contra fidens animi præsentiùs aude,
Et votum de more mihi sacrare memento.
Scis etenim, frustrare tuos, Marcelle, vocatus
Si me usquam patior. verùm hæc est India: hic Indus,
Qui nomen, regnoquè decus facit amnis eoo.
Illa, vides? Goa est, templo lætissima nostro.
Nostro tu manibus vernantia lilia templo
Sparge: decet; dioquè super fac plurimus agno.
Hæc prima errorum requies, prima otia, rursus
Defectura breui; nam post non tempore multo
Vela vocent Zephyri: fessumquè iterabitis æquor.
Litora quamquam alii Macao regnata sequuntur:
Tu Maniliaci potius rade æquoris oram;
Hinc insperatum capies ad Japona cursum.
Sed ne absiste prius, quàm bella immania surgant
(Auctor ego irarum) ingratusquè mihi occidat hostis.
Insula cara mihi, curæ, dum vita manebat,
Pars non parva meæ. ut cunctis ego sedibus illam
Prætulerim: scis ipse; etenim quà litora latè
Cernis, cernisquè alti litora Midanai,
Hìc ego spumanti delapsum gurgite Numen
Flebam: saxa mihi, atque hæc non surda æquora testes.
Verùm ubi multa dolens, crudeli vulnere mentis
Intereo: en resilire imis pendentia signa
Æquoribus, cancroquè ratem præbente, relabi
Ah meus, ah notas ignis festinus ad ulnas.
Hìc, super hoc, memini, scopulo, vestigia pressi,
Quantus ego! hìc flexus contraria brachia pandi:
Bisquè dato bis mille Deo hìc hìc oscula fixi.
Vna ergò ante alias jucunda sit insula par est:
Nevè sinam Coralæ hanc ultra seruire Tyranno.
Quare age, & ipse diu Mauri prædonis onustos
Frange animos, sævumquè piis scelus eripe terris.

Ipse

Ipſe adero,ipſe habiles jaculabor ab æthere flammas.
Ne metue exiguas numero duxiſſe cohortes:
Conjuret cœlum contra,terræ,æquora,flammæ,
Omnia ſigna moue tantùm tu: arma ipſe mouebo.
Poſt hæc optato te puppis Japone condat.
I tandem, i felix: felici ſidera eundum
Quà minùs aſſenſere mihi, mea funera vincis.
Vince: juvat. certè noſtrum ſpectabimus inſtar
Hic etiam: inquè tuo tinget meus æquora ſanguis.
Accipe nunc fatorum apicem,molemquè tuorum
Ingentem decorum. cernis diſcordia regna,
Regna maris,ſpatioquè animorum diſſita longo?
Hæc tellus, hæc eſt ipſos optata per annos:
Hic,qui ſæpè tibi Japonum promittitur orbis.
Ergò age deuenerare ſinus,terramquè repoſtam,
Nominis auctorem,& decorum caput omne tuorum.
Iſta mihi primos dederunt Saxumia portus
Litora;& iſta dabunt primos tibi litora portus.
Progredere. en Cuſium litus. vis cernere ſylvam,
Qua flamma prodere tua: flamma iſta fatigat
Te nimis iſta;neci ſiquidem cauſamquè,modumquè
Flamma dabit: dabit hæc media,hæc extrema laborum.
Quantus habet populos,audin', furor? undique quantus
Clamor in arma? vides acies,& prœlia belli?
Scilicet his recalet, ſolennibus acta procellis,
Oceano par ora ſuo:gratiſſima quondam
Ora mihi: furiis nunc tántùm,& amabilis orco.
Nulla quies hic eſt populis: pax nulla. libido
Regnat; & imperii culmen mutabile ſemper
Vim penes. arma jubent regem. regem arma tuentur.
Arma eadem (ſi mox libeat) data regna cruentant.
Ipſa hæc,ut noris,regio,turpiſſima dudum,
Undè ſibi aſſuerant, demittens Numina ad orcum,
Juſtum aris,meritumquè diu imponebat honorem.

Qua-

Qualis eram,cum monſtra Deûm calcaret & ipſe,
Qui veritus pridem fuerat: qui ſupplice vultu
Aut tus,aut pecudem ſpurcis admouerat aris.
Chriſtus ubique ſonat: Chriſti venerabile ſignum
Paret ubique: omni exuperat tunc corde voluptas.
Aſt illud fuimus: nunc cœli,prò dolor! alti
Relligio his ſuprema facit veſtigia terris.
Refluxere iterum peſtes,iterumquè Deorum
Fruſtrantur terrore animi. promiſſa,fideſquè
Nullum,aut vix ullum auertunt fallacibus aris.
Rex jubet: imbelliſquè ruit poſt juſſa juventus.
Hìc ergò tibi nil ſalui. tu litora: lictor
Te teneat pariter: captumquè ad mœnia vertat.
Quantum hinc pœnarum! duces per funera funus
Omnia. nunc,& iter,vide,quantum vinctus obibis
Nangſachium. Marcelle, illic noua mœnia,campum
Illic cerne tuum. ſta animis,ſævuſquè tuarum
Perlege pœnarum ſpecimen, claſſemquè dolorum.
In te etenim effundet,quotquot ſunt,barbarus unum
Supplicia: uno in te tandem ſaturabitur hoſtis.
Incurva pendens contrarius arbore,primùm
Tenta ſupinabis recto veſtigia cœlo.
At caput (& capiti labro collecta capaci
Lympha ſubeſt) narem tenus immergere; ſed iſtuc
Ne graue,ne durum cenſe: pejora ſequuntur.
Robuſti ſiquidem juvenum retinacula, deorſum
Undè fluis,torquent in ſpiras: torta relaxant
Præcipites. hìc mole ſua revoluta retexunt
Corpora prærapidis violentos orbibus orbes.
Hìc quoquè ſubſultare imbres,perquè ora rotati,
Se juſto plus infundunt; te ſpiritus undè
Deficit interea: proquè auris æquora captas.
Hoc alii re alia tentant,ſcaliſquè ſupinis,
Et jacta,haud interruptis deſcenſibus, unda:

Ex

Ex quo idem labor eſt animæ; nam fuſilis humor
Ora adverſa ruens, & ſpiſſo deſuper ictu
Præcipitans, auræ vincit ſpirabile tempus:
Illa tamen tangi aſperior (nam turpia turpes
Quæ flammis tentant abiecto more petulcis,
Reiice: ceſſabunt) ſcrobs altas miſſa ſub umbras,
Tergemina quam iuncta tegit trabe funebris arbos,
Illa quidem tangi aſperior. ſolennia genti
Pœnarum hæc ſunt: & certo cognomine cives
Supplicium foveæ dicunt. Invicte, quaternas
Tu luces, totidemquè ipſas poſt ordine noctes
Ingeſtus caput in caveam, me vindice, viues:
Nec tam alii longinqua necis producitur hora;
Sed tua quid foveæ mors contumuletur in umbris?
Eſt tibi, teſte polo, pereundum, teſtibus aſtris:
Et rectos morituri oculos, frontemquè ſuperbam
Cælicolæ aſpiciant. ſed tu me ſuſpice contra
Tendentemquè tibi dextram, auxiliumquè ferentem
Hac ex parte: hac te victorem ex parte ſerenus
Excipio. haud violet tamen enſis colla, priuſquam
Effundat bis nequicquam ſine vulnere vulnus.
Expectet mandata. velis tu, poſſit & ipſe:
Cumquè velis, dic tu: bona nunc deſcende ſecuris.
Hoc age; ſublimes me ſcandere tempus ad oras.
At vos hinc ite indociles, agreſtia corda,
Japonidæ: ite, quod eſt reliquum, corrumpere flamma,
Fluminibuſquè, viri. mundum ante abſumere vobis,
Quàm ſacras erit exuvias. date, inhoſpita ferri
Per vada victuros cineres. dabit his quoquè finem
Fluctibus Omnipotens. recidiva videbitis olim
Corpora: & hi cineres flamma meliore calebunt.
Interea tu rumpe moras (Deus omine firmat
Cuncta ſuo) ne ultra libeat torpere ſupino.
Surge: vales; ſuperiſquè unà fateamur honorem.

Vix

Vix ea:cum lethum impendens,plagæquè venenum
Omne abiit.rediere ultro nerviquè,vigorquè,
Nativusquè animæ rediit tractabilis usus.
Marcellus (nequè enim ipse sibi satis ante receptus:
Sed velut in somnis tantùm spe lætus inani,
Et curas vacuas, & dulcia furta laborum
Incerta sub mente agitans,speratquè,timetquè)
Nunc verò excutitur: nunc certo lumine demum
Aspicit indigetem magnum,atque ita protinus infit:
O Pater,ò ingens cœli decus,usque ne ab astris
Huc ad nos nobis fœdam defendere mortem?
Salve iterumquè,iterumquè,precor. qui spiritus oris
Est super ex te,etiam est tuus; & tuus hic erit usque
Spiritus. at quò nostra vocas? in quam bonus ultro
Spem mittis? testis mihi tu,quod nulla recusem
Dura pati. video, imparibus tamen alta ferenda
Viribus. hæc fortasse aliis ingentia serva;
Nam mihi & ille sub hæc subitò: Tu jam sine: non est
Nostrum hæc metiri. major vis ista gubernat,
Et sortes miscet pro libertate futuras.
Ingredere: & spontè Zephyros ad carbasa flantes
Disce pati. sed ego hìc etiam de mœnibus istis
Illustres animas,geminumquè in funus ituras
Excipio jam nunc, alta quas mente repostas
Fortunata dies seris mihi prodat ab annis.
Hos equidem circumductos toto orbe,jubebo,
Esse auræ.esse maris,nimborumquè esse potentes.
Tu cunctis magnum instar eris,moremquè minores
Ex te formabunt: in te mea facta sequentur.
Hæc autem,cœlo quæ celsa palatia surgunt,
Et soboles invicta animi quæ surgit in istis
Sunt mea, dico equidẽ: propria hæc mihi sẽper habebo,
Nunc,olim,quocumque feret se tempore tempus.
Imò aderit matura dies,cum sedibus iisdem

Exi-

Exiguis non exiguo mactemur honore.
Namque mihi ſtatuent ex auro altaria: ubi ipſa
Iſta domus, quamquam ſpatiis excluſa malignis,
Dives opum, longè pictis conſpecta tabellis,
Auroquè, argentoquè amplas æquaverit ædes.
Hìc mea relligio totos ſacrabitur annos.
Vivite jam noſtræ, bona mœnia, viuite curæ.
Hæc ait, & cupidum interea, nec pauca parantem
Dicere, deſtituit, noctiſquè receſſit in umbras.
Ille oculis, palmiſquè ſequentibus, Ah meus, inquit,
Quò celer, ah quò tam celer? i tamen, i: ſequor audens,
Quà præis, quà curſum aperis per cærula nobis
Ingentem; modò tu noſtros lenire labores
Adſis ò ſuetus: comitem his te & caſibus addas.
Dixerat: & valdè ſociis mirantibus olli,
Deſilit extemplò medias redivivus in ædes:
Inquè toro cædem immanem, vulnuſquè reliquit.

LIBER SECVNDVS

CARMINVM

ELEGIACA.

Beatiſſimæ Virginis Deiparæ Mariæ in Pueri Ieſu per triduum latentis abſceſſu Lacrymæ.

ELEGIA I.

AMiſſam dudum ſobolem, lucemquè, animamquè,
Ipſam ſe,paſſis crinibus,alma parens
Flebat; & intereà fletum,auditura decorũ
Aura tacet: tacita labitur amnis aqua.
Tunc etiam hircanas tygres,pœnoſquè leones
Fletibus ignotis ora rigaſſe,ferunt.
Tunc ipſas etiam rupes,atque horrida ſaxa
Aggemuiſſe rudi pectore,rumor ait.
Rumor ait, falſos imbres ſuper æthere miſſos:
Ac ſolem ſolidos tres latuiſſe dies.
Illa gemit,diuiſa velut connubia turtur:
Aut philomela velut pignora rapta, gemit.

Hæc

Hæc noctes,hæc Diva dies deflere: neque illam
Leniat ex ulla parte petita quies.
Insomnes ducit noctes: dum cernit inane
Prole latus,radio lumina,corda face.
It,redit assiduè,totumquè ignara pererrat:
Sicubi furtivas detegat ægra fugas.
Hàc rimatur,& hàc: percurrit inhospita,secum
Multa dolens,quantum ruris,& urbis erat.
Ter sol Oceanum currus demisit in æquor:
Æquore ter currus extulit Oceano;
Versat adhuc frustra,quotquot sunt avia. quærat
Ultra ubi,jam nescit;quærit & illa tamen.
Et quasi crudelem,quòd matris vulnera cernens,
Cerni non patitur,sæpè relicta vocat.
In nomen quamvis vacuum juvat ire: rogatquè,
Illud ut obstructis auribus aura ferat.
Tandem Jordanis vitreum consedit ad amnem
Lassa satis gemitus,sat quoque lassa viæ;
Mæstoquè intendens lacrymantia lumina cœlo,
Indè dolet,solem tandiu abesse suum.
Cumquè dolet,simul ista imo de pectore fata est:
Nate,ubi? ubi tandem me quoquè,Nate,lates?
Nate,lates? an me pertæsus ad astra recurris
Jam tua: nec matri est ultima dicta salus?
An loca te deserta tenent? ah ne mihi vultum
Sol: ah ne lædat triste cubile latus.
Ne teneras figant plantas dumeta. terendus,
Me miseram! sed non vepribus ille locus.
Prandia quis rupes inter,quis pocula curat?
Ille siti forsan,rumpitur ille fame,
Sed meus,ut par est,pascatur ab æthere natus,
Vestra,precor,solis cura sit,astra,mei.
Ergò te saltus habeant? te tesqua? lacus te?
Ergò habeant alacres pignora nostra feræ?

Istæ,

Istæ,credo equidem,nunc plantis oscula libant:
Nunc vultu pendent,aspera corda,tuo;
Tequè ultro flexa dominum cervice fatentur:
Tu tenera mulces rustica colla manu.
An hìc? an alibi? an nusquam? proh gaudia nostra,
Quam citò præcipiti velificata die!
Heu pietas! qua te demum regione requiram?
Quem durus matrem cogis adire locum?
Oceani nobis est ne ingens æquor arandum?
Num videam ut te,sunt monstra videnda prius?
Sed videam ut te,nec me monstra natantia terrent:
Nec vultu terret mors truculenta suo.
Tantùm me doceas,quibus es repetendus ab oris;
Nec mora: me aspicies quaslibet ire vias.
Ire per aërios superato vertice montes:
Ire per ignotas sole flagrante plagas.
Si sit opus,veniam modò trans Garamantas,& Indos:
Trans clari veniam solis utramque domum.
Non me flamma vetat: jugulo non pendulus ensis:
Hosti non quæ sunt mille nocere viæ.
Atque penetrarem nigra usque ad tartara; si,ulla
Esse simul tecum tartara nigra,foret.
Vos,age,servantes felicia rura, puellæ,
Hæc nemora,hos solitæ concelebrare lacus:
Si vestras umquam tenuis vox impulit aures:
Si quos elicuit debilis aura sonos;
Dicite: (namque reor, vos hunc quoque ferre dolorem)
Dicite; tam subitam quò meus ille fugam?
Ille satis notus: vobis quoque. si tamen estis
Oblitæ vultus fila venusta sui;
Cernere dant illum lactentia lilia vobis,
Lilia puniceis exaturata rosis.
Ore rubet,quantum non ullo vincitur ostro:
Quantum nec nivibus vincitur,ore nitet.

Hos

Hos vultus,hæc blanda gerit pulcherrimus ora:
Qualia si tygris,si lea cernit,amat.
Melleus est labris,est labris lacteus:instar
Nectaris à roseo defluit ore sonus.
Estquè olli vis mira oculis. corda ipsa ferarum
Ut uidet,ut jacta compede suave tenet.
Noui equidem mille his animam transfossa sagittis,
Cum nostros onerat parvulus ipse sinus.
Nunc feriunt aliæ vacuam,fodiuntquè sagittæ.
Cessit amor: cœpit cor laniare dolor.
Quin ab utroque fero duplicata morte sagittas;
Jamquè parum superat viuere: jamquè nihil.
Exuccis,heu me! dissoluor ab usque medullis:
Fertquè animæ multum lacryma multa meæ.
Langueo,& extremus mihi redditur halitus. at vos
Extremos nato hos ite,referte modos:
Jam pereo,scis ipse. haud mortem conqueror:unum
Conqueror: hoc mortis te voluisse genus.
Quod pereo,dulce est; illud non dulce,quod auctor
Diceris natus funeris esse mei.
Si fueram plectenda tibi,si morte litanda:
Certè alia poteram succubuisse manu.
Diua parens,jam pone modum ploratibus istis;
Est tuus in tuto,ne geme,tutus amor.
Absentem modò fles: aderit post tempus,& idem
Præsenti præsens plus tibi flendus erit.
Tunc tibi carnifices oculi,vultusquè propinqui
Findent ceu bifidus mollia corda chalybs.
Sed nunc tolle oculos: rediit tuus. abijce luctus,
Abijce; nam luctus altera fata manent.

ABRAHAMI

Filium immolaturi Querela.

ELEGIA II.

IAm sacra congestis surgunt altaria lignis:
Jam premit insuetum victima jussa rogum.
Ipse Pater teneras in terga revolvere palmas:
Ipse caput ferro composuisse pater.
Ah quoties,ubi dextra facem supponit acervo,
Restinxit patriam lacryma fusa facem.
Ter dolor incœpto jussit decedere sacro;
Victa tamen pietas ter pietate fuit.
Pignoris urget amor:contra urgent jussa Tonantis.
Hinc impellit,& hinc hostis amoris amor.
Non secus adversis fertur si lympha procellis,
Discordiquè simul dissidet acta noto.
Hinc rapidus Boreas spumantes incitat undas,
Et facilem gelida fronte reuoluit aquam.
Auster at hinc libycis properans contrarius oris,
Suspensam toto flumine portat aquam.
Aut ubi,quæ annoso,decus agri, robore quercus,
Quercus fatidico sylua dicata Jovi,
Surgit: eam Zephyri magna vi vellere certant;
Intereà multa fronde tenetur humus.
Tunc animosi Euri contra franguntquè,feruntquè;
Fit fragor: ambiguo sylva furore gemit.
Sic aliis,aliisquè Abram compellitur auris:
Ac velut in medio fluctuat unda mari.
Ipse oculos terris referens sua prælia cernit,

Victo-

Victoriquè suo plaudit ab axe Deus.
Tyrrheni non tot veniunt ad litora fluctus:
Patria quot fluctus pectora percutiunt.
Relligio partim, partim Natura perorat.
Totus in ore Deus:totus in ore pater.
Ergò ego? dicebat: manus ista? hic ensis? amorem hunc?
Hanc spem ego?ego hanc spē:istic ensis,& ista manus.
O utinam nobis non Isacus unus adesset.
O possem in pœnas largior ire meas.
Nunc age, descendat per candida colla securis.
Hei mihi! quid cessas tollere tela manus?
Ah manus,ah cessa: usque adeo dum sylva querelas
Audiat:& gemitus audiat hora meos.
Quid mihi ego sobolem volui?pater,anne sacerdos?
Filius, an nobis hostia danda fuit?
Hiccine qui multæ genus æquaturus arenæ est?
Qui dabit ætherias vincere stirpe faces?
Hiccine magnanimùm heroum quo surgeret unda?
Dicerer & magno magnus in orbe parens?
Pollicitum reddo superis satis Isacus unus
Pro tanta certè posteritate foret.
Væ demens,quò te cessit fiducia? nonne
Mox dare & hic poterit candidiora cinis?
Sed cinis. heu me! imo tremuerunt viscera saltu.
Ergò supremæ jam micuere faces?
Nate: sed hæc etiam contingo nomina? natus,
Et genitor fuimus: victima,mysta sumus.
I felix,isto meliorem quære parentem.
Ut mihi tu viuas,me nocet esse patrem.
I morere:ipse luam æterno cita gaudia luctu,
Gaudia quæ retuli,non renuente Deo.
Sed moriens tu me crudelem nomine dices;
Crede tamen: pietas non finit esse pium.
O aliquis saltem hic lictor de millibus esset:

Esset, qui libycos pascitur inter hydros.
Hos ipsos fecet ille artus, flammisquè ministret;
Et mihi sat pœnæ cognita pœna foret.
Cur ego carnificem jubeor mutare parente?
Cur una jubeor tollere cæde duos?
Hoc caput abscindam, per quod jurare solebam?
Oscula quæ toties, vulnera colla ferent?
Quì possim extremi suspiria ferre laboris?
Qui possim, moriens si vocet iste patrem?
Quò ferrum primò mittam? quò vulnera? an illum?
An me? an & uno eodem vulnere utrumque premā?
Ergò sola meæ solatia curta senectæ,
Tam citò tam serus præripiendus eras.
Candida quæ toties pro te fumauerat ara,
De te fumabit nigrior illa patri.
Tu felix, qui felici cadis hostia cœlo:
In me unum tota mente procella furit.
Ipse ferar toto crudelis in orbe: ego tygres
Ter dicar tantò præteriisse magis.
Sed tu, qui mandas istuc quodcunque doloris,
Aspice, & in facinus da noua corda nouum.
Tu modò, tu dextram, mentemquè tuere labantem,
Qui cogis patrem dedidicisse patrem.
Dedidici: tandem ipse vides. simul hæc: simul instant,
Læua comæ, cœlo lumina, dextra neci.

Cupio

Cupio diſſolvi,& eſſe cum Chriſto.

Paul. ad Phil. c. 1.

Animæ cœlum impensè optantis ſuſpiria.

ELEGIA III.

QValis,quæ nemorum,quæ ruris ruſtica Siren,
Pieris aërii quæ Philomela chori;
Quæ regina novi cantus incedit: & olli
Aſſurgunt placidi, flabra canora, noti;
Amnibus,& ripæ jamdudum aſſueta ſonanti,
Aut canit,aut lætos læta pererrat agros.
At,ſi forte agitur meditata in retia,& ipſas
Cogitur arboreas deſeruiſſe domos;
Quamvis regali pendet grata hoſpita tecto:
Quamvis aurato vimine clauſa manet:
Accipit & Domini quamvis convivia dextra:
Fulgurat & circum flammea vitta caput:
Multa gemit, virideſquè optans decepta penates,
Utcumque auratas indolet illa moras.
Si quis det ſaltus antiquos: luſtra ferarum
Si quis: ſi cœlo liberiore frui;
Et liquidum tranare,& ludere ſoſpite penna,
Et nulli famula voce iterare melos.
Hæc cupiens,ſeptum luctamine tentat inani:
Si teneat cupidas, quà data porta, fugas.
Hàc,illàc,infrà,ſuprà, undique:nec ſibi quicquam,
Libertas tantùm deſit,adeſſe putat.

Me miseram! (quando narrat me fabula) rursus
Me miseram! quid me hæc instita dura tenet?
Quid compes, nervusquè ultra, manicæquè? quid in me
Ferrea vinclorum sic opulenta seges?
Et vetor, heu pietas! patrios remeare penates:
Hìc ubi sunt reduci sceptra parata manu.
Ah cupio, sed nequicquam cupio impigra solvi:
Una hæc me ex omni libera vota manent;
Sed tamen ista notis dantur spargenda marinis.
Usque ne despectam dura catena premet?
Usque ne longè aberit meus ignis? jam date longas,
Ah date, crudeles dissoluisse moras.
Solvite me: libeat tandem; sit lux mea merces.
Accipite hanc animam: sim pretium ipsa mei.
Accipite hanc animam: lucem pro luce paciscor;
Lumina pro nostro lumine bina dabo.
En erit illa dies, avidos quæ reddat amores?
Quæ ferat has lacrymas, en erit illa dies?
Sed quis eam ducit tam lentis cursibus annus?
O annus, seclo longior ipse magis.
Narrant, præcipiti tempus decurrere lapsu:
Ut rapidas prono flumine vincat aquas:
Ut vincat, mittit quas lyctia chorda sagittas.
Fabula; nil uno tempore desidius.
Ocyor exoluit testudo iter: ocyor undas
Quæ fugit, arctoo vertitur ursa polo.
O ego versarem si tempora; dicerer, omnes
Ipsa dies una præcipitasse die.
Urit amor fibras: penitos depascitur artus:
Et desiderio lancinor usque meo.
Solvite me vinclis, vita hac me solvite. viuant
Viuere queis dulce est: est mihi dulce mori.
Ne mihi ne jacta medicatas murice vestes,
Dequè peregrinis vellera missa plagis.

Ne

Ne memora extremo submissa palatia cœlo,
Queis micat aurata sub trabe falsa dies.
Nec molles epulas, nec mitis munera Jacchi:
Nec quæ sunt cupidæ dulcia damna gulæ.
Adde, quot Attalicæ numerabant rura tabellæ:
Lydia quàm multas aula videbat opes;
Atque videbat inundantes hinc, undique, ab omni
Congestis arcas cardine diuitiis.
Quin etiam pleno Ganges mihi flumine campos
Influat: & rutilo stagnet arena vado.
Et quantum toto campis metit impiger anno
Appulus aut Libyco gens operosa solo,
Horrea nostra, jube, disrumpere da mihi demum,
Quidquid habere aliquis: quidquid auere potest:
Nulla mouere valent animum. plus gliscit in imo
Corde dolor: plus sub pectore plaga furit.
Illa furit: neque enim hæc solatia justa doloris:
Non est hæc nostri justa medela mali.
Illos da vultus: illam da cernere lucem,
Qua sol, qua pariter sydera cuncta nitent;
Ut subitò videas vultus clarescere nostros!
Tristiaquè ut subitò cedere pulsa loco!
Nunc mihi abest mea lux: absunt solatia, & absunt
Omnia lætitiæ nomina justa meæ.
Sive dies radios, seu nox disseminat umbras:
Una redit madidis lacryma luminibus.
Si me campus habet: mea sunt suspiria campo
Cognita; si saltus: saltibus illa patent.
Ah quoties projecta sub alti fluminis oram,
Præcipito ex oculis flumina bina meis.
Posse amnes toto lympharum corpore pontum
Amplecti, & fontem rursus habere suum:
Posse ignem summo requiescere in æthere: posse
Tellurem, ut nata est, ima tenere gravem:

Esse nihil, quod natiuo pellatur amori:
Cuncta frui, & metam tangere cuncta suam.
Una ego, quæ adverso cogor labi amne: scopumquè,
Una ego quæ cogor, transiluisse meum.
Nec libertatis spes est vicina: nequè ullus
Aut dolor, aut nostri sidera tangit amor.
Ut prece solicitem cunctantia: nil prece possum;
Ut lacrymis: etiam lacryma cassa cadit.
Quid faciam? quæ me ars curis exolverit istis?
Irrita sunt gemitus, lacryma, vota, preces.
Lacryma, vota, preces fuerint sæpè irrita: fortè
(Spero equidem) non hæc irrita semper erunt.
Nam promissa dedit: durent me quærere; ego illos
Respiciam, & voti mox faciam esse reos.
Durabo: chalybesquè feri nil vota tenebunt.
Me his solvet, quò se solvat & ipse fide.

S. MA-

S. MARIA MAGDALENE

Ad vacvum Domini tumulum lamentatur.

ELEGIA IV.

Cvm vacuo instaret penè exanimata sepulcro
  Magdalis, hos gemitus, atque ea verba dabat.
Me miseram! cui fervor adhuc? cui sola supersum?
  Illo bis rapto, quid moror ipsa mori?
Et vocem lacrymæ hìc interclusere ruentes:
  Quæquè jubet, prohibet, reddere verba dolor.
Fatali interdum stupefacta ferocibus ausis,
  Hærebat lapidi, non minus ipsa lapis.
Interdum lustrans tumulum, sua funera quærit:
  Et quærens toto corpore lumen erat.
Sed desiderio sæpè hìc frustrata tenaci,
  Suspirat curis irrequieta suis.
Nunc hàc, nunc illàc sine lege incerta vagatur.
  Mille amor incertam fertquè, refertquè vias.
Nescit, quo rapitur: rapitur tamen. ægra moratur:
  Ægra moras eodem tempore præcipitat.
Ah quid agat? quæ solicitet freta inhospita? quosnam
  Terrarum scissos tendat ab orbe sinus?
Intereà fletu magis, & magis ora rigantur;
  Respondent mæsto concava saxa sono.
Tandem inter densas, annosa cacumina, pinus
  Incubuit trunco victa labore latus.
Victa dolore animum, nudo contraria saxo,
  Pallida, par scopulo, stat sibi certa mori:
Et conata loqui jam verba novissima, vix has,

Vix

Uix potuit tandem sculpere ab ore notas:
Dulces exuvię, magni solatia luctus,
Sanctæ vel sævis hostibus exuviæ,
Invida, crudelis, mihi quò vos dextera? ubi vos
Occulvit furto dextra superba suo?
An sua nunc victor producit funera? an ipsam,
Nunc juvat, immani morę necare necem?
Hoc juvat. incœptum in facinus gens effera pergit:
Et nova connectit crimina criminibus.
Quæ vos Massylis lea saltibus edidit? aut quæ
Pavit in ignotis mænalis ursa plagis?
Quid lea? quid vos ursa? furens lactavit Enyo;
Uos imis Phlegethon fluctibus evomuit.
Nempe parum fuerat juvenem damnare sepulcro,
Et fæda sanctum plectere morte caput?
Non satis irarum, ferreo quòd scinditis unco
Corpora riphæa candidiora nive?
Quòd nive candidiora, flagro quassatis amaro?
Ipsaquè, proh facinus! viscera nuda patent.
Quòd capiti ςrebras paliuri immergitis hastas:
Vndè os, undè comæ mersa cruore natant?
Quòd nigra insontem configitis arbore, ut olli
Guttatim exhausto sanguine vita fluat?
Addere erat sævis intactum tygribus: & quod
Horreret libyci torua leęna soli.
Non vos extincto, non morti parcitis ipsi.
Est ne super quicquam post mala cuncta mali?
Hæc una ingentis solatia parva doloris
Restabant: unum hoc omnia funus erat.
Nunc ea qualiacumque mihi solatia rapta:
Et spolia hęc iterum despoliare fuit.
Crudeles, diris digni crudelibus, ergò
Vulnera sic ultrò nostra ferire juvat?
Sic gemitus, & sic suspiria plectitis ipsa?

Ergò

Ergò eſt,quod metuat mors truculenta ſibi?
Sed quid ego immanes animas,& ruſtica corda
Solicito? incaſſum noſtra querela cadit.
Uos auræ ſaltem,quaqua regione repoſtus
Ille jacet,luctus,ite,referte meos.
Extinctus quamvis,audit tamen ille querelas:
Et caſſus quamvis lumine,cuncta videt.
Dicite,ſupremas adeo quas ducimus auras:
Vt ſedet hoc ipſo condere corda loco.
Ni repetit ſedem ipſe ſuam,ſaxumquè relictum:
Explebo funus mox moritura ſuum.
Si tamen olli antrum,ſi rupes diſplicet iſta:
Durata in tumulum viſcera cuncta dabo.
At ſi hoc vile putat: ſtatuam de divite gemma,
Cunas quæ ſolis tranſeat urna novi.
Huc tantùm redeat;ſibi totus ſerviet orbis:
Sideraquè in tumulum mittet uterque polus.
Sin negat: hos teſtor colles,atque æquora teſtor,
Tequè etiam noſtri funeris auctor amor:
Hoc ſedet immotam trunco conſiſtere;donec
Ingratum perimat mors violenta caput.
Hæc ſecum ingenti verſat percuſſa dolore
Magdala , & aſſiduis fletibus ora madet.
Ecce autem extemplò ploranti,luce recepta,
Numen adeſt : ſed idem tunc quoque numen abeſt;
Nam vultus latuere ſui:lumenquè repreſſum eſt
Principiò.vultus dein patuere ſui.
Vt patuere,ſuoquè flagrans in ſidere fulſit,
Sidere,quo terras,quo ſimul aſtra beat;
Continuò triſtes abiecit Magdala vultus:
Vix ſe vix toto pectore læta capit.
Protinus ad notas impos deſiſtere plantas;
Aſt eadem plantis protinus abiicitur.
Intereà nullo expletur lætiſſima viſu:

Atque

Atque avido totum lumine corpus obit.
Lingua tacet;res una agitur iucunda videndo.
Cætera quàm mallent lumina membra forent.
O fortunatós gemitus,fletusquè beatos,
Tam diversa eadem lux sociare potest.
Ergò age,pande sinus: bibe gaudia,Magdala,nullo
Tempore quæ possit dilacerare dolor.
Proiice projectos vultus,habitumq;gementis.
Res habeat luctus, res sibi pœna suas;
Et fruere optato post nubila cęca sereno.
Cedere lætitiæ sic dolor ipse solet.

DIVVS

DIVVS FRANCISCVS XAVERIVS

Passi numinis effigiem Oceano mersam deplorat.

ELEGIA V.

SAberi luctus,undosi & furta Tyranni,
Et lamentati reddita signa Dei,
Fabor. ades compta redimitus tempora lauro,
Dexter ades votis,candide Phæbe,meis.
Quamquam ego non suetus Pindi tentare choreas,
Hospite solicito plectra sonora manu;
Deductum tamen ipse haud aspernabere carmen.
Quę canimus,certè sunt fide digna tua.
Vix mare pacato voluebat in æquore fluctus:
Uix vaga crispatas aura ciebat aquas;
Neptunusquè agitans concham,currusquè sonantes,
Summa celer madidis vix freta tangit equis.
Nereides ipsæ,viridis chorus,ipsa profundi
Monstra,ipsi choreas dulce agitare noti.
Et celeres lympharum iræ torpere,nequè ulla
Æquore deprensas arietat unda rates.
At non Saberus curis mordacibus æger,
Multa gemens,placido concolor ille mari est.
Eum dolor irrequietus agit. dolor,an fuit ille
Plus amor? an potiùs non sine amore dolor?
Ipse omnem visus pelagi sub corde procellam,
Omnem oculis pelagi claudere,visus aquam.
Languet, demersumquè gemit cęco ęquore Numen.
Has

Has veſtigat, & has pes, animuſquè vias.
Nequicquam tandem illacrymans, Mihi reddite, dixit,
Aſtra Deum: vel me reddite naufragio.
Crudeles lymphæ, crudelis tu quoque pinus,
Hoc fuit incolumem diripuiſſe neci?
Gurgite ſi prenſus medio, ſi naufragus undis:
Nonne forent votis damna minora meis?
Quæ quibus antefero? miſeros cui dicere queſtus
Aggredior? vel quem noſtra querela movet?
Omnis (me miſerum!) regio ſilet: omnia ſurda:
Non audituris cautibus iſta gemo.
Ignotis ergò ſine me, meus ardor, in undis,
Vſque ruinoſi præda ſuperba maris,
Ibit: ego auerſas inimico ab litore plantas
Abducam, atque aliò cor ſine corde geram?
Æquor quin ipſum nulli ſuperabile, & ipſas
Stat non conceſſas ſolicitare vias.
Si quis fortè locus, ſpelunca & avarior inter
Paſſa peregrinas Numina condit opes,
Experiar. ludor, miſerum me! mille procellis
Vna ſtetit rapidi pulſa procella maris.
Nox erat, & pelago requies tranquilla: repentè
Signa ſubirati cùm patuere ſali.
Creber anhelabat Zephyruſquè, Euruſquè: nec ullo
Pura ſerenato fulgere flamma Polo.
Principiò nautis labor: & creſcente periclo,
Ignauus creſcit dura per oſſa pavor.
Hàc illàc agimur. neſcit quas audiat auras,
Carbaſus: & ponto tota rebellat hyems.
Continuò inſequitur miſerorum ingens ululatus;
Ars quoquè præſenti vincitur ægra malo.
Quid facerem? atquè equidem nulli me credere morti
Addubitem: funus ſpargere præſtat aquis.
Sed me tot gemitus, alienaquè funera tangunt;

Tan-

Tangit, qui ſuperam navita poſcit opem.
Spondeo,quod benè ſit puppi, nautiſquè futurum:
Ad mea ſic excors vulnera præcipito.
Uellere ſuffixum pignus de pectore, dequè
Perpetua volui credere reſte mari.
Cur non merſum undis religarunt viſcera noſtra?
Cur non de noſtro corde catena fuit?
Quid gemo?enim merui. decuit ſic mergere in undas:
Me jacere ut tantas crederet æquor opes?
Æquor habet ſua jura;ſatis ſua jura tuetur.
Quem tu jactabas,reſpuat unda Deum?
Ergò ego crudelis:mihi pro feritate luenda,
Quæ luimus.non vos æquora,me patior.
Cærula vix ergò tetigit bis penſile Numen:
Uidi ipſe in prædam cærula confluere.
Vt vidi,ut perii! ut me calor oſſa reliquit!
Quid faciam? deerat mens,animuſquè malo.
Exclamo: mea vita,tibi defende procaces
Undas; ſed præ me carior unda fuit.
Ex illo poſuere noti, poſuere procellæ;
At me omnem ex illo ſorbuit Oceanus.
Gratatur lætus partam mihi nauta ſalutem.
Iſta meo,dixi,eſt funere parta ſalus.
Hei mihi! quo rumpo luctum? cui talia narro?
An,qui amant,teſtes fingere cuncta ſolent?
Vt ſoleant ipſi,quid nobis cætera teſtes
Profuerint? abſunt omnia, ubi unus abeſt.
Sed non ille diu abfuerit; mox namque ſequemur;
Jam mea dudùm lux lumina deſeruit.
Dixerat, & ſævæ exanimis procumbit arenæ;
Intereà extremos alluit unda pedes.
Illa dies,illi certè ſuprema fuiſſet:
Ni raptas Superùm cura referret opes,
Dicite,purpurei colles, quos afflat eoo

Phœ-

Phœbus equo: quos & plurima ſylva tegit:
Dicite; enim haud credo, vos hæc latuere: medelam
Quam Deus his voluit deproperare malis?
Ah mihi ne memoret, ſua jam miracula, pinum
Græcia, quæ princeps fœdera fregit aquis.
Cancer ab extremo repetens ſumma æquora fundo
Nauigat, & cœlo nobile portat onus.
Inquè caput torquens chelas, ſeſe arcuat ultrò,
Ac Zephyris pigras increpat ille moras.
Ibat eum proles circum Neptunia: circum
Delphines ſaliunt, conſociantquè choros.
Officium obſtupuere arces, amneſquè propinqui:
Et ſtetit attonitis impiger amnis aquis.
Ipſa Thetis doluit ſua non felicia furta.
Siccine, ait, noſtras prodit alumnus opes?
Jam ripæ celer adnabat, jam cymbula Numen
Exponebat. & ò, gaudia, Diue, tenes?
Diue, tenes olim tua gaudia? reſpice munus,
Quod polus, & pontus reddit habere tibi.
Munus habe, propriumquè imo ſub corde repone.
Fallimur: hoc potius cor tibi munus erit.

Chri-

CHRISTI IESV NOSTRI

Vindicis Natalitia Magorum decorata Aduentu.

ELEGIA VI.

BEthlei colles,& collibus addita ſacris
  Sylua diu,dextro quam pede luſtrat auis;
Voſquè auræ circum volucres,voſquè arva, ſonante
  Quæ beat in primis vitreus amnis aqua,
Dicite, Rex ſuperùm veſtras ſe abiecit ad oras
  Quandoquidem,& veſtros fertur habere ſinus?
Dicite,quæ moles olli? quæ pompa? ſuperbum
  Fulgere bis ducto murice dat ne latus?
Undè aliquis cunas? aurum undè,artemquè miniſtrat?
  Seu quodnam gemmas mittit habere mare?
Scilicet is tanto curat conſtantia,frontem
  Qui duro poſitus gramine triſte cubat.
Non aurum,non gemma ſubit ſpelæa: ſibiquè
  Sola tyrannorum tecta ſuperba petit.
Sed meus ignotum tenet antrum parvulus:& vix,
  Vix ſibi tantillum cingere corpus,habet.
Ergò humili (neque enim placeant majora puello)
  Carmine dicemus, quæ noua ſuaſit amor.
Nos puerum dicemus,eum non, quantus ab axe
  Fulminat,aut pelagi ſubruit arva notis;
Sed quantus, licet omnipotens nutu excutit orbem,
  Aura infans gelidi flaminis excutitur.
An Deus? an puer ille? etiam puer ille,Deuſquè;
  Ille puer largis imbribus ora madet:

Ille Deus fert externo procul orbe triumphum,
Et nullo superest Marte orientis agris.
Ut veneraturi patriis, viden, orbibus astant
Omnis Arabs, omni mota Sabæa loco?
Quos celeri dromades convectant crure cameli:
Dum properant regi regia dona Deo,
Aurumquè, & myrrhæ lacrymam, & quæ plurima sacris
Concrepat injectis turea mica focis.
Aspice, quæ patrio radiabat sidere vestis:
Quæve coronabat picta tiara caput:
Ut properè inclinant famulum summissa nitorem:
Ut certant niueos utraque adire pedes.
Namque ferunt numero Reges tres, & tria sceptra
Longa Palæstini rura petisse soli:
Extremis Auroræ adytis, è finibus Indi
Occiduam ad Solymos corripuisse fugam.
Id monstro superùm, id cœlum fecere sequuti:
Hoc authore novam sustinuere viam.
Assuetos, fama est, stellarum discere cursus,
Et pura assiduos nocte notare polum:
Aspiciant si fortè nouum procedere sidus;
Namque noui vetus est sideris auctor auus:
Sperarent, aliam visuros æthere flammam;
Stirps ubi virgineos linqueret alma sinus.
Ergò per noctem votisquè, oculisquè vocantes
Sidus inaccessum, sidera cuncta legunt,
Et numerum censent: si quis nouus ignis abundat;
Nulla tamen stellæ proditur aura nouæ.
Urgent vota, astrumquè, annosquè queruntur ahenos:
Usque ne tam longas ducere flamma moras?
Hæc lacrymis, hæc dum precibus propioribus instant:
Candida nox medium fortè secabat iter.
Umbrarum ecce sinu ex ipso nitor exilit ingens,
Itquè magis cunctas clarior ante faces:

Quem

Quem ſimul aſpexere,ſimul prono ore ſalutant,
Et vocem, & lætas expediere manus.
Circa bis ſenûm radiorum argenteus ordo
Currit eum: & ſpecimen,ſol niſi,ſolis erat.
Eſt veluti vox in radio:ſunt lucida verba.
Uenit io,clamat,credite,venit io.
Ite Palæſtinos,illì nam conditur,agros:
En ego naſcentis nuncia flamma Dei.
Ducam ego non certos ignota per æquora in antrum;
Antrum etenim,pariter qui tenet aſtra,tenet.
Ergò iter arripiunt celeres. præit auctor eundi
Stella,per & vacuum plaudere viſa choros.
Plurimus hinc, atque hinc miles deducit ovantes:
Et latè cæca nube repletur ager.
Collecta ex longo ſtudiumquè,fameſquè videndi,
Præcipitant magnam nocte,diequè viam.
Ah Solyme,ah ne vos teneant regnata tyranno
Mœnia;prò quantos perfidus ille dolos!
Ille dolos agitat,rabiemquè erodit iniquam:
Irrita nequicquam ſuſcitat arma dolor.
Vos age,veloces procul hinc,procul ite;cruentis
Mœnibus abripite & lumina præcipites.
Altera vos poſcit tempus ſpectacula,rupis
Cernite pollicitæ,litora cara,latus.
Dux ibi veſtra ſuum ſequitur prænuncia ſolem;
Stella fovet natum,non fugat iſta diem.
Pergite,regalemquè ultro ſummittite cenſum:
Tempus in exiguas fingere regna caſas.
Exin quale decus?veſtræ plus luxerit antrum
Famæ,quàm rutili regia ſolis,eos.
Quæve dies,nulli non vos narraverit æuo,
Quàmlibet obſcuro naſcitur alma loco.
Vivite, & auguſtos titulis ſuperate nepotes:
Hoc decus,ignotum condecoraſſe Deum.

ET LACRYMATVS EST IESVS

Ioan. II.

In Cunis

ELEGIA VII.

RVpe ſub algenti vagit Deus; huccine noſtri
Impulit, atque pati tam fera juſſit amor?
Heu pietas! oculis pulcrè rōrantibus, ambæ
Molleſcunt, veluti gramina ab imbre, genæ.
O lacrymæ, ò lacrymæ, ruitis quæ fontibus iſtis,
Vlla ne vos ipſas lacryma digna fleat?
Tellurem quò vos celeres properatis ad imam?
Siccine pro divo lumine limus habet?
Hoc de fonte bibit putor ſtabulantis arenæ?
Roſquè beat turpes tam pretioſus agros?
Siſtite, vel ſi adeo juvat erupiſſe: cavete,
Terra ferat magno munera digna polo.
Uos adeo totis emeret ſplendoribus æther,
Atque habilem in cenſum ſidera cuncta daret.
His undis ſol mutaret gangetidas undas:
Mergier his Arctos non trepidaret aquis.
Alma Thetis, paucas parvo etſi à lumine guttas,
Uos emeret toto protinus Oceano.
Adderet ipſum oſtrum victura corallia, & alba
Margarita, albentes anteitura nives.
Ipſe ego, ſi tantum liceat ſperare, profundo
Iam nunc totam animam, munera curta ſatis:

Sed

Sed tamen ingentes æquantia munera census.
Parva licet:toto res tamen asse venit.
O fluat hæc nostras pro sanguine lacryma venas:
Hic toto latè corpore succus eat.
His mea mollescant lacrymis præcordia:sive
Occasura his se lux mea condat aquis.
Sed nequicquam agimus:lacrymæ voluuntur ad imum
Vsque solum:lacrymis caula superba madet.
Sed madeat: par est;nam si Deus incola rupis:
Est rupe in toto dignior orbe locus?

In Amici Lazari casu.

O Felix, cui lux istis remeauit ab undis:
Isto cui viruit reflua rore salus.
Sed tibi, Bethanide,quod nam pro munere munus
Majori? major quæ nota amoris erat?
Quòd Deus extincto lucem dedit,an quòd Amicus
Extincto proptijs lucibus illacrymat?
Hoc magis,hoc potius reputa tibi pignus amotis:
Hæc etenim cordis munera: at illa manus.

In Cruce.

FIxum quadrifida pendebat Numen ab alno:
Vnaquè jam corpus sanguine plaga fluit.
Intereà largos mittebant lumina fletus:
Quæquè cruor tingit,lacryma membra lauat.
Quò Deus in lacrymas,dum sanguine liquitur? hoc est,
Cur idem lacrymis,atque cruore madet;
Totum corpus amat: testem dant membra cruorem
Cætera;at hunc nequeunt lumina:dant lacrymas.

Dant lacrymas, testes synceros; quippe dolore
Non sine amor magno, non sine amore dolor.

In Cunis, in Amici casu, in Cruce.

CRux, Cunæ, Casus, lacrymis decorantur, Amici;
Multa hæc: sed lacrymas elicit unus Amor.

B. ALOI-

B. ALOISIVS GONZAGA

Aulam plus nimio pertæsus flagrat solitudinis desiderio.

ELEGIA VIII.

SYlvæ, felices sylvæ, pia tecta ferarum,
Quas unas toto præterit orbe dolus:
Et vos antra, & vos antrorum rustica Tempe,
Atque animæ, per quas obstrepit omne nemus:
Tum qui fons surgis, saliente ex æquore rivo:
Tum qui declivi laberis amnis aqua:
Salvete, ò animi solatia nil cupientis,
O desiderii summa beata mei.
Salvete. hanc liceat vobis misisse salutem:
Quàm mallem ad vestros ipse venire lares.
Fletibus ah quantis ego vos noctuquè, diuquè!
Ipsa eadem mihi nox testis, & ipse dies.
Vos meditor, nitido seu currum ostendit ab Oeta
Phœbus: seu currum Tethyos abdit aquis.
Vos ipse assiduus meditor: pulsataquè luctu
Continuò ad vestros mens fugit ægra sinus.
Curisquè; exclamo, mordentibus: O mihi sylvæ,
O animi, sylvæ, portus, & aura mei.
Jam valeant alto subducta palatia cœlo:
Ingrati valeant tecta superba laris.
Et valeant cunctorum irritamenta malorum,
Quas Deus incassum contumulauit opes.
Intonsi contra montes, vallesquè profundæ,
Frigidaquè, incultas quæ datis, antra, casas,

Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis;
Vnus honor vestri me tenet, unus amor.
Atque utinam vestras sedeam securus ad oras,
Et liber cœlo liberiore fruar.
Ille ter, ille quater felix, qui fusus in herba,
Insontes longè ducit ab urbe dies.
Illum non agitant, numerosa examina, curæ:
Non estur tristi liuidus inuidia.
Non populi fluctus, discordiaquè arma: neque ille
Externi metuit bella cruenta ducis.
Non inhians opibus; non multo pauper in auro,
In mediis, veluti Tantalus, aret aquis;
Sed meliore siti flagrans, bibit æthere ab alto
Delapsas toto pectore delicias.
Otia enim cœli Rector facit optimus illi,
Otia non ullo deperitura die.
O aderit ne dies, lucos qui habitare sonantes
Det mihi, & insanis ædibus eripiat?
Rura petam, saltusquè inglorius. ò ubi saltus,
Et rura, & vita flumina cara magis?
Ad vos ignotus jaceam: hìc præterfluat ætas
Surda mihi: hic pellat tarda senecta virum.
Sæpè mihi optatæ fingo succedere ripæ:
Atque leues ferro ferre per arua pedes.
Ridet ubi tellus: ubi prata recentia: ubi errat,
Et fugit ipsa suas garrula lympha fugas.
Hinc aspirat, & hinc vegetabilis aura: vicissim
De picturato vere superbit ager.
Cumquè atra nox confundit caligine terras,
(Esse quidem curis grata tenebra solet)
Ipse polo attollens rorantia lumina, sæpè hunc
Aggrederer fletu solicitare meo;
Et gemerem: Quid iners mihi volvitur orbita? cursu
Quis mihi tam lento tam graue ducit onus?

Num

Num mea mors periit? funus num funere victum est?
Eheu fatales præcipitate moræ.
O vitæ nox cara meæ: justissima, ponis
Tu mihi, quæ perdat gaudia nulla dies.
Hùc optata veni; neque enim ipsa timeris in antro;
Non terrent humiles ultima fata casas.
Sed quid ego hæc frustrà? teneor fera usque catena:
Nec fas, regales deseruisse domos.
Regia, fax scelerum, cunctorum lerna malorum,
Proxima tu stygiis, styx nisi & ipsa, plagis.
Splendida tu quamquam jactas mendacia: quamquam
Aurea conspicuum tollis ad astra caput.
Ah quot tu insidias? quot nutris monstra? tibi sunt
Fallere mille artes, mille nocere viæ.
In te periuræ posuere cubilia fraudes:
In te, qui nunquam constat ab ore dolus:
Pallentesquè metus, dolor inuidus, impia mentis
Gaudia, flebilibus gaudia juncta modis.
Quid memorem, quæ rixarum discordia læta
Fœdera fraternæ solvit amicitiæ?
Quos fabricat casses? armat quæ tela venenò?
Quàm fera sub tacito pectore bella fouet?
Ambitio hinc fluctus agitat, jugesquè procellas,
Expanditquè auidis irrita vela notis.
Hinc ultor violentus amat furere usque furorem:
Et rabido stygias tuctat ab ore canes.
Relligio, Pietasquè ultro despecta: neque ipsis
Et suus est aris, Cælitibusquè locus.
Scilicet ille aulæ potis est comprendere casus,
Qui in numerum justa lance referre potest:
Quot sæuo jonium fluctu mare pulsat arenas:
Quot folia hercyniis saltibus eurus agit:
Sidera quot supero volvunt vigilantia mundo:
Quot nemus äerias mobile pascit aues.

Ergò

Ergò ego tot rerum ſubeo diſcrimina: tantis
Nolens inuoluor ſolicitudinibus.
Hæ ſyrtes fugiendæ, iſtuc eſt æquor arandum:
Quà reſona indomito frangitur unda freto.
Me miſerum! hanc rerum faciẽ quis cernere? quiſnã hoc
Immuni valeat ſcindere puppe ſalum?
Solvite, ſi quis amor, ſuperi, me erroribus iſtis:
Soluite: ſat fuimus præda petita maris.
Sit ſatis iſta mihi tantùm vidiſſe: neque ultrà
Candida fœdari crimine corda ſinar.
Si tandem extrema videam me in valle jacentem,
Et circumfuſo robore membra tegi:
Si trahere innocuos puro de fonte liquores,
Dequè ſacro ſacras ubere delicias:
Tunc latè ponam noſtri monumenta triumphi:
Inſcribam vivo in cortice & iſta manu:
Euaſit victor ſceleratam Aloiſius aulam;
Plaudunt victori rura beata ſuo.
Condidit hìc lætus nullo diſcrimine ſoles:
Tu, ne te condat labilis aula, vide.

Ab sacrorum cinerum pompa procurata nuper nostra in æde

AD MARCELLI MASTRILLI

Immersum fluvio cinerem Poëtæ votum excitatum

ELEGIA IX.

CVm nova turicremis recalent altaria flammis:
  Vivit & in rutilas cera liquata faces:
Parietibus longè cum rubro serica villo,
  Auroquè alternis serica texta fluunt:
Vndique cum resonat dium melos:omnia læta,
  Omnia seposito condecorata die;
Et facturus adest operosa in veste Sacerdos,
  Quamquè semiramia dextera pinxit acu:
Et populi vomit unda fores:creberquè recurrit,
  Quà surgunt claro picta sacella loco;
Fulget ubi ad medium juveni par Aliger aureo,
  Aliger,in nostrum credita cura latus:
Atque hinc, atque illinc foruli per scrinia secti,
  Quos dudum effossa lux bona condit ope;
Quandoquidem huc Diuùm felicia funera Mystæ
  Supplice convectant deposuisse manu,
Auroquè irriguos cineres,fabrèque repostos,
  Ossaquè conspicuo ter patefacta vitro;
Hos inter cineres,oblitaquè funera,quæ nunc,

Nunc

Nunc primùm tulerunt debita justa sibi,
O ubi Marcelli cineres? ubi funera toto
Sparsa marj, Iaponum quæ dedit ira mari?
Illa quidem pelago,& ventis pulsata feruntur.
Nulla ne tam longas impleat hora fugas?
En unquam statui liceat solenne sepulcrum,
Quale nec immensum Caria vidit opus?
Aureus en unquam stabis,Marcelle,per aras,
Pendebitquè tuo picta tabella tholo?
Nunc ego quantus eram,paria inter funera funus,
Vrna si gererem nobiliore tuum?
Nam tibi & hic etiam locus afforet, undique mersus
Qui nunc indecores refluis inter aquas.
Quò tamen usque sali jocus ibis? quæve laboris,
Errorisquè diu finis amica venit?
Ibitis, heu,cineres per inhospita litora latè,
Vrnam queis ultrò pectora nostra darent.
Ite,sed has animas erroribus addite vestris:
Accipite in pariles funera nostra fugas.
Nos quoque stat totos percurrere in æquore fluctus
Vsque sub extremi stagna reducta maris.
Occurram fortasse,modò hæc solatia nobis
Fata sinant,tumulo,vel cinis ipse,suo.
Nam tumulum,reor ipse,nec est mens vana,sub undis
In gemma posuit candidiore Thetis.
Vndè meus templo tam divite,in æquore cultus,
Fastidit patriam ditior hospes opem.
Sed tamen huc,Marcelle,memor nostriquè,tuiquè
Huc ades,huc fugiens stagna profana maris.
Nam quis honos pelago in medio? quæ possit in undis
Relligio? sine, eos monstra habitare lares.
Tu patriæ, Zephyris vectus famularibus, undè
Tandiu abes,funus tequè tuumquè refer.
Hic tumulus de more:vapos hic turis ad aras;

Hic

Hìc melos: hìc ſtrato lilia cana ſolo:
Hìc etiam nova templa; tenent hæc pallida quantum,
Rere, auri? quantum marmoris iſta tenent?
Addam dædala ſigna, tuas imitata figuras:
Addam etiam comitem ſigna imitata tuum.
Ara duos una accipiet, quos accipit unus
Olim amor, & placidos accipit una quies.
O demum iſta tuis velocior auribus aura
Applicet: ignotas nec ſinat ire preces.

B. ALOI-

B. ALOISIVS GONZAGA

Mentem à diuinis jussu Moderatorum abstrahens, dicebat:

Recede à me Domine.

ELEGIA X.

ERgò ego te jubeam, mea vita, recedere? deinde
Te sine, me exanimem vivere quis jubeat?
Attamen hoc facio, jubeoquè recedere; sed tu
Parce, repellentem deseruisse tuum.
En siste, en absiste, precor. procul ipse recede:
Ipse mane. ah votis diuidor usque meis.
Qualis ventoso deprensus in æquore vector:
Ille refert plena puppe orientis opes:
Jam patriam, jam jam tangat sibi litus amicum:
Instat supremi tenue laboris onus.
Cum subitò insonuere noti: fremuere procellæ;
Et repetit raptas barbara Tethys opes.
Ecce subit trepidum magnus præcordia terror:
Et malè congestis mercibus illacrymat.
Jam vasti surgunt fluctus, superantquè carinam:
Lethalem ingreditur, quà patet, unda, viam:
Spemquè, metumquè inter crudelis nauta leuare,
Quæ tandem est oneri, robora merce, jubet.
Ille diu tollit sudata holoserica, & auri
Tum benè pallentis pondera iniqua manu.
Impellit lethi metus hinc: hinc turpis egestas:

Ira-

Iratoquè magis fluctuat ille salo.
Sæpè procellosas latè prospectat in undas:
Sæpè putat virides ponere stagna minas.
Ingeminant venti: date territus omnia ventis,
Dum clamat, media voce resistit inops.
O ego nec jubeor, pelago dare nostra furenti:
Demersi hæc olim non lacrymatus aquis.
Nulla meas onerant fortunæ munera pinus.
Vlla ne jam nuda puppe pericla manent?
Tu mihi (quis credat?) mihi tu, mea vita, periclo es.
Diue, vale. ah quantus sunt duo verba dolor.
Sed tua quandoquidem nullo stat fine potestas:
Et fine te, & tecum vivere, Diue, jube.
Nam si totus abis: quis tunc arcebit amantem,
Ne te vel toto perditus orbe sequar?
Per medios hostes, & per discrimina longa
Te sequar. occurrant vulnera, tela, faces.
Nec supra, nec quod currit mare latius infra,
Impediet nostræ certa pericla viæ.
Ætnam ponè meis opponere cursibus Ætnam;
Aspicient auidos me super ire rogos.
Ipse Acheron furiis, flammisquè sequacibus obstet;
Non furiis animum, non Acheronte domor.
Quid sit amor, nescit, qui frænum imponit amori;
Frænatur nulla vi violentus amor.
Mutent prona, jube, solennem flumina cursum:
Ne loca præcipitet pondus ad ima, jube.
Fac, leue non motis lapidescat fluctibus æquor:
Et superas metuat tangere flamma plagas:
Sol ut ab hesperiis remeet formosior oris:
Et pigra se occiduis proluat arctos aquis.
Vsque adeo Natura valet: nec vertere cuiquam
Aduersis liceat pondera ponderibus.
Vnus ego, aduersas cogor discedere partes:

Co-

Cogor & illapso vertere terga Deo.
Si possum, immotus mediis consistere in undis:
Sarmatica, possum, si caluisse niue.
Sed nobis prius ipsa dabit rapida unda quietem:
Ante vides, gelida me caluisse niue.
Nunc quid ego hæc frustra? jussis urgemur: abire
Jam decet, o animæ lenior aura meæ.
Numen abi. te certè oculis, animaquè sequemur.
Sic mea cessabunt funera. Numen abi.

D. IGNATIVS LOYOLA

Cœlum intuens, O quàm, inquit, tellus ſordet, dum cœlum aſpicio!

ELEGIA XI.

NOx erat,& cœli juſto plus læta micabant
Sidera: ducebat Cynthia docta chorum.
Dum ſopor altus habet latè maria omnia;& omne
Alituum ceſſat, quadrupedumquè pecus.
Dum rapidæ per ſtrata ſilent molliſſima curæ:
Et ponit gelidos mens agitata metus.
Hìc ubi ſe æquato volvebat cardine cœlum:
Hìc ubi ſe medio vertice biga tenet;
Fervidus igne ſuo flammantem Ignatius axem
Circumſpexit,& hos fudit ab ore ſonos:
Flammæ,felices flammæ: decor omnibus undè eſt
Noctibus: eſt animo vulnus & undè meo.
Nam quid adhuc adeo ſpatiis diſtamus iniquis?
Quid ſuper inuitum me malus orbis habet?
O ego ſi aſtrorum poſſem me infundere turmis:
Si me ſi poſſem ſurripuiſſe ſolo.
Veſtris ah quantus mihi conditur ignibus ignis!
Ut vos pulchra: tamen pulchrior ille latet.
Heu latet: & quàm noſtra diu defecta latebit
Lumina! tam lentas rumpite, ſecla,moras.
Axis,io ſine ſole nites formoſior. ipſa
Nox caligantis nil modò noctis habet.
O ego,nec teneo præſens mea gaudia: dum te
Erranti errantem lumine proſpicio.
Proſpicio dum te, quantis mihi dicitur atra
Sordibus, ac turpi condita terra ſitu!

Tu nigra, tu circumfusis obscura tenebris,
O oculis semper sordida terra meis.
Non mihi, quam simulas vecors, imponit imago,
Sed tuus ah quondam ludus & ipse fui.
Nunc tenuisse juvat læuis mendacia frontis:
Nunc juvat abstrusos edidicisse dolos.
Delicias non ulla facis: licet improba mittas
Munera, veloci deperitura die.
Quid mihi te jactas maculoso marmore fœtam?
Perquè errare tuos flaua metalla sinus?
Quid virides Erythræ plaudis tibi fonte smaragdos?
Vel, qui adamantæo congelat orbe, diem?
Adde auro illusas vestes, tyriumquè venenum:
Adde Arabum intactas, adde Orientis opes.
Non tua nos mutant profusis munera palmis;
Longè alia, & longè ditior axis habet.
Omnes ille meos sibi vendicat axis amores:
Hìc ubi vel labes non sine luce micat.
Aspice, quàm puro spatiatur lactea tractu,
Lactea virgineis concelebrata choris.
O ubi quæ refluo serpit zona aurea Phœbo?
Illa est bis seno sidere secta via.
Currit ad obliquum, rursusquè in se ipsa recurrit;
Hàc se tollit, & hàc se revoluta premit.
Errant hæc certis erroribus astra; tenorem
Illa sibi servant motibus astra parem.
Ut formosa oculis superò quæ ex orbe coruscant!
Ut squalent nostro quæ nituere solo!
Hìc bella assiduis quassant terroribus urbes.
Hìc docet in fratres vertere tela furor.
Mille viæ hìc scelerum, totoquè rebellat in orbe
Impietas. ultro perdita jura silent.
O qui me tantis subducat sordibus. ò qui
Sistat, ubi puro labitur amne dies!

DE'

DE SPIRITVS SANCTI

in SS. Apoſtolos illapſu.

ELEGIA XII.

COnſenſere dies: redeunt ſolennia vota:
  Sideribus miſſæ deſiluere faces.
Jam cœlo pluvios diſcurrere vidimus ignes:
  Jamquè Orbis flammam ſenſit adeſſe ſuam.
Huc pueri, huc unà celeres properate puellæ;
  O iſto libeat feruere corda rogo.
Japetionides furtiuo torre Prometheus,
  Dicitur, exiguam ſurripuiſſe facem.
Fabula quanta fuit tam parvulus ignis! at omni
  Verior èn ad nos labitur igne polus.
Non dum quadrijuges cœlo ſol altus habebat:
  Et medio nondum fecerat axe diem.
Ille dies juſto longè formoſior exit;
  Sæpiùs eoo lauerat amne comam.
Nullæ tunc Eurorum animæ per inane fremebant;
  Ipſa aura, ipſa arbos, ipſa ſilebat auis.
Cùm ſubitò horriſono quatiuntur cuncta fragore;
  Jmaquè ſuccuſſo margine terra tremit.
Et Zephyri hinc illinc in prœlia concurrentes:
  Qualis in Ægeo nata procella mari.
Nec minus intereà fulgere ſerenior æther:
  Sed tamen & fulgens, & ſine nube, tonat.
Innubiſquè fragor, tempeſtateſquè ſerenæ
  Non una ſemet continuere domo.
Quin perhibent, totam ſonitus erraſſe per urbem;

Mixtaquè solicito cuncta fuere metu.
Ast improuisæ tandem posuere procellæ:
Impleuitquè sacram flammea lingua domum.
Dissita verticibus sedit bona flamma, neque ulli
Noxia, subiectas lambere visa comas.
Sed Deus,& Deus ille patebat pulcher in igne:
Ille ignis gemino semper ab igne flagrat.
Ut primùm incubuere faces fulgore secundo:
Ut calido arserunt pectoris alta Deo;
Quale latex, qui forte gelu duratus, oliui
Cogitur,& parvo in margine parvus habet.
At si Vulcano collectus aduritur humor:
Quà salit in largo plurima flamma foco:
Desuper ecce autem ferventi exundat aheno:
Nec patitur justos unda remissa modos.
Tale manus procerum furiis metuenda,furores
Ut primùm sacros præpete ab igne tulit:
Erupere omnes unà,conceptaquè fundunt
An verba,an rapido fulmina missa sono?
Flagrantes ite,ite animæ,quà pervius orbis:
Quà lauit Oceanus solis utramque domum.
Ite,vel arctoa septem sub rupe triones:
Ite vel austrinas sub juga ferre plagas.
En uobis tremuere Deùm simulacra: dederunt
En formidatos Tartara nigra sonos.
Cedere Tarpeja dudum meditatur ab arce
Juppiter,& fulmen jam timet ipse suum.
Quale cadens statuet mihi perfidus ille trophæum!
Roma triumphato plaude superba Jovi.
Terror in Ægyptum quantus! jam numina latrant:
Jam rudunt inter tristia sacra boues.
Isi gemis? geme: tuquè unus non flendus Osiris;
Jam pecus indigenùm flebitur omne Deùm.
Pergite vos proceres; sternuntur inania templa

Spon-

Sponte sua, nulli condita templa Deo.
Pergite: nec deerit vestris novus assecla plantis;
Volvent magnanimos ultima secla viros.
Ergò felices animæ, vestigia tanta
Quæ urgetis: geminum quæve tenetis iter.
Vos, quibus ignotum lustratur cursibus æquor:
Et si qua ulla fuit terra reposta, patet.
O manus, ò Ignatiadùm manus, æmula laudum
Tantarum, cui par velificatur honos.
Vos quoquè delapsæ contingunt æthere flammæ:
Vos quoquè conceptos funditis orbe rogos.
Nascere, & Auroræ, Saberi, litora tende;
Multùm etenim eous sol modò noctis habet.
Noctis habet multum; tu sol radiantior olli
Occiduo referes natus ab orbe diem.
Nos etiam classemquè tuam, tuaquè arma sequemur:
Una triumphati palma Acherontis erit.
Hæc ego: dum torvo monuit me Delius ore,
Parcere deductis magna referre modis.

Vindicem Salutis Humanæ

In antro Bethlemitico se nuper enixam, per literas nunciat

MARIA ANNAE.

ELEGIA XIII.

ANna parens, gratare Deo, gratare Nepoti,
Qui tenero gelidos excipit ore notos:
Materno parvus qui pendet ab ubere: quivè
Cuncta meo pascens pascitur in gremio.
Ore micat, quantùm nullo superabilis astro:
Quantus ab eoo non micat orbe dies.
Melle fluit labris: liquuntur lumina melle:
Ipsa etiam multum lacryma mellis habet.
Nectar is est instar totus: quævè aspicit, urit:
Atque niues ipsas non sinit esse niues.
Cautibus, utcumque indomitis, aspirat amorem,
Mirantur formæ saxea saxa suæ.
Ipsæ antrum venere feræ, venere furentes:
Sed fera non remeat, quæ fuit ante fera.
Ut videre genas, ut lumina blanda: liquescunt;
Totus tunc illis est in amore furor.
Ipse, rogas, silet, an loquitur? loquiturquè, siletquè;
Idemquè, ut taceat, me tamen, inquit, ama.
Quam siquis vocem non audiat: ille leænis,
Est & sæuitie sæuior ille sua.
Jamquè dies, alterquè dies processit olympo,

Ex

Ex quo enixa dedi, rura tenere Deum.
Curauiquè, tibi è superis hæc perferat unus,
Quæ modò sunt nostra pauca notata manu.
Nam discessuræ dederas mandata: fac indè,
Fac subitò, ad nostras nuncia charta manus;
Ista venit; quamquam te mallem accedere, Mater
Esses lætitiæ nuncia ut ipsa tuæ.
Nam me, relligio est, antro migrare, priusquàm
Ritè ferat puero nomina, jussa dies.
Jussa dies octaua meo fert nomina amori.
Si licet, hac ipsa, sedula mater, ades.
Sed tamen intereà, quæ sunt præsentia rerum
Nostrarum, ignaram justa tabella docet.
Nazarias ergò sedes cum conjuge postquam
Liquimus, excepit vix via nota duos.
Sed via inassuetam multùm me læsit euntem:
Plus tamen obtulerunt oppida ferre mali.
Nam simul & Bethle, & magnorum mœnia Auorum,
Et patuit quondam Dauidis aula senis:
Inclinata dies jam descendebat olympo;
Nos nulla exortes lex capit hospitij.
Hàc versamur, & hàc, si quis locus. omnia sæva:
Omnia sunt modico tecta negata viro.
Quid facimus? crebrasquè æther densauerat umbras:
Puraquè crudeli sidere torret hyems.
Est specus exesi projecta ad limina montis:
Obtexunt patulas gramina multa fores.
Huc, improuisus cœlo si mittitur imber,
Defendit trepidum pastor ab imbre gregem.
Huc etiam lentus solet accessisse viator:
Sicubi nox rumpit præcipitata viam.
Nos etiam, nos huc tandem properare; Deoquè
Nascendi locus est nullus in orbe suo.
Hospitium neuter doluit sibi triste; labores

Ipſe meos tantùm vir dolet: ipſa ſuos.
Ingreſſi tacita pariter ſub rupe ſedemus;
Hoc quoquè ſuccumbit fornice bina pecus.
Æqua quies jam penè aderat mortalibus ægris:
Altaquè nox medium penè ſecabat iter.
Numquam aliàs tantis fulgoribus arſit olympus:
Altera nunquam aliàs purior æthra fuit.
Præſentire etiam tellus ſua gaudia,& omni
Vere,repentinas fundere floris opes.
Tunc ego: ſed quid ego hæc mortali cognita nulli
Narro? vix tandem cognita ſacra mihi.
Euehimur ſuper aſtra ſuper ſuprema,nouiſquè,
Profuſiſquè natant pectora deliciis:
Quas inter, proh illius ſpectacula noctis!
Mortalem ſenſi me peperiſſe Deum.
Obſtupui; quid enim vagit mihi tantulus infans,
Qui ſimul in magno maximus orbe tonat?
Abiicior plantis: mox dulcia ad oſcula ſurgo;
Præſtita & hæc nato: præſtita & illa Deo.
Faſciolis,candore dein quæ lilia vincunt,
Corpora vel niuibus candidiora tego:
Quas tu faſciolas mecum properauimus,& quas
Duximus in tenui,linea texta,jugo.
Fultum illum ſtipulis videas, aluoquè cauata
Duriter applicitum depoſuiſſe latus.
Ah latus,ah quanto ſuffultum ſidere: ubi axem
Subiicit,& reſonas librat ab aure faces.
Intereà nox occiderat: ſubituſquè refulget
Ter tanto ex omni clarior axe dies.
Turmæ præcipitant ſuperùm: puerumquè, Deumquè
Et ſemel,& rurſus cernere,& uſque juvat.
Abſiſtit vix hinc aliquis:dant cantibus horas:
Pro ſe quiſque ſuis ardet in officiis.
Quidni hæc cælicolæ: quando pecus ipſa refuſo

Viſa

Viſa eſt egelidos ore fovere notos?
Nos,ut rere,dies totos pendemus ab illo.
Non ipſa hæc,tibi qua ſcribitur,hora vacat.
Alternis tueor tabulas,prolemquè cubantem.
Sic tua cum noſtris gaudia diuidimus.
Sed nunc,nunc infans vagit meus. haud ſinor ultra;
Eſt opera eſt aliò noſtra vocata: vale.

Annos complures animi deliciis destituta omnibus, tam longam amorum suorum absentiam pertæsa,

D. O. M.

Liberatori Generis Humani Christo suo Teresia.

ELEGIA XIV.

CHriste, meũ Numen, quondã mea magna voluptas,
Lacryma nunc oculis plurima, Christe, meis,
Plena querelarum tibi litera mittitur: ulla
Si te fortè mei cura laboris habet.
Mittitur, & vacuis forsan committitur auris:
Forsitan hanc etiam perdere flabra finis.
Quæ tamen hic trepidans morientis dextra notabat,
Flebile continuò lacryma mersit opus.
Nec minùs intereà juvat hanc misisse lituram.
Dixi: quæ loquitur lacryma, nouit amans.
Quem non verba, illum valeant mutare refusi
Fletus: illum unum vincere gutta solet.
Crudelis, tantumne potes mihi tempus abesse?
Hic tuus hic est, quem sæpè fateris, amor?
Quid magis odisses? rescribis nulla dolenti:
Conqueror, & questus deuorat aura meos.
Hoc pro me innumeris caput opposuisse procellis?
Sic mea vel toto est parta cruore salus?
Qui vitam obtuleras: vitam cur tollis amanti?

Quid

Quid me quid lethi cogis adire viam?
Cernis,ut in toto macies ſtat corpore? cernis,
Et ſuper accumulas arida ligna foco.
Jam morior: ferriſquè mei tu funeris auctor.
Supremo forſan ſcribitur iſta die;
Nam nequè tu ceſſas ſtimulis agitare dolentem,
Et lacrymam lacrymæ ſubſtituiſſe nouam.
Ad rigidos ſedenim teneor captiua penates:
Et cogit molles dura catena pedes.
Dura pedes cogit:ſed liberat ora querelis:
Et ſinit ad nomen multa dolere tuum.
Quò nos uſque grauis Babylon premet? ò ubi templum!
O adyta! ò Solymi limina cara ſoli!
Uſque ne captivam teneat me barbara compes?
Uſque jubes patrio me caruiſſe ſolo?
Quantùm ſe jactat præda Chaldæus in iſta!
Ut gaudet ferro ſubdere colla Seon!
Moabus hinc,Enacimquè hinc,Rex Ogus,Edomquè,
Sperant,immites frangere poſſe fidem.
Ante tamen ſolem produxerit Heſperus: atræ
Prætulerit nocti lucifer ante facem.
Undas ante rogus,fluvioſquè eruperit: ante
Frigida flammantes miſerit unda rogos.
Nulla dies unquam juratos frangit amores:
Nulla etſi durum te mihi cura rapit.
O adſis tantùm auxilio;ſæua agmina ſurgunt:
Surgunt exitio Tartara cuncta meo.
Adſis auxilio:auxilio,& dic protinus,adſum;
Signa triumphati vox ea Ditis erit.
Atque ego militiæ jam olim promiſſa decoræ,
Territa deſtituam ne tua caſtra, vide.
Intereà renouans luctum noctesquè,dieſquè,
E deſiderio vulneror ægra tuo.
Aſpicienſquè diem,quem nox depellit olympo:

Et

Et quam iterum noctem pellit ab axe dies:
Ibitis, exclamo, refluçquè redibitis horæ:
Et nova succedent sidera sideribus;
Unus non unquam mihi sol remeabit ab undis:
Una mihi occubuit non reditura dies.
Ipsa etiam interdum, si compede crura leuantur,
Per juga, per syluas incomitata feror.
Namque parem narrant te floribus: albaquè in agris
Lacte rudi formas lilia ferre tuas.
Si qua tui effigiem, quæro, dent lilia vultus:
Nulla ferunt vultus lilia signa tui.
Nostro etenim longè qui mittitur halitus ore,
Cuncta velut jacto corripit arva rogo.
Tunc ego: si redeat pulcherrimus ille, videbis,
Vere renidentes rura aperire sinus.
Lætitia cernes ad sidera surgere colles:
Atque repentina ludere fronde nemus.
Quare age despectos, mea vita, recurre penates:
Rapta simul tecum gaudia nostra refer.
Sic te longinqua veneretur ab usque Molucho
Barbarus: & Brasili gens grauis hospitibus.
Post te sic properent pueri, innuptæquè puellæ:
Sic omni semper sis in amore potens.
Flecte viam: facilemquè animum flecte: en age, portus
Fac videant tandem reflua vela suos.
Diceris ante domos ipsas noctuquè, diuquè,
Sæpè ante hostiles aduigilare fores.
Me miseram! ingenium tibi quæ mea crimina mutant?
Hòc magis ut fugias, quò sequor ipsa magis.
Non tibi marmoreo vestitur pectore pectus:
Cor tu duratum non adamante geris.
Nosti, quid sit amor: plùs & quàm nosse sat esset.
Cura tibi quondam par in amore fuit.
Et memini: cum tu lassus nemora alta petebas;

Una

Una tibi ex magno nam grege deerat ouis.
Saltus tunc ipſos,tunc cœca auiaria luſtras:
Si qua deerrantis dent tibi ſigna feræ.
Pulchris intereà frons liquitur undique guttis:
Cum via ſolicitum rumpit iniqua latus.
Ah quoties videre caua ſub rupe jacentem:
Ah quoties longam ferre per arva ſitim.
Quos gemitus,quæ verba dabas,quo lumina fletu
Turgebant,ſolum cum tibi carpis iter?
Sed nunc nulla iterum faſtigia,nulla ſuperſunt
Nunc juga,quæ tenero ſint ſuperanda pede.
Tantùm ne fugias multo ſudore ſequentem:
Siſquè tuo tantùm concolor ingenio.
Diue mane,vel tecum animam hanc rape:non erit ultra,
Aſpectu ut poſſim viua carere tuo.
Si quid amas,ſi qua ulla mei tibi cura ſuperſtes:
Huc ades:huc tota voce vocatus ades,
Seu nos,ſeu certè viſurus funera noſtra.
Fortè cinis flammam ſuſcitet iſte tuam.

EMI-

EMINENTISSIMO DOMINO

D. INNICO CARDINALI

CARACCIOLO

Designato Romæ Præsuli Suo
Parthenope.

ELEGIA XV.

NVncius ad nostras lætissimus appulit aures;
Concolor optatis nuncius ille fuit.
Diceris,indutus tyrio pulcherrimus ostro
Fulgere,non inter sidera stella minor.
Ceu solet, eois cùm primùm refluus oris
Phœbus odorato liquida pulsat equo;
Tunc ostro faciem,tunc ostro divite currus
Pingit, & ostriferas tunc pluit axe rosas.
Imperiumquè Tibi fertur cessisse sacrorum
Nostrorum,ac juri tradita templa tuo.
Sic olim nostra qui abscedis alumnus ab ora,
Mutatis remeas partibus ecce Pater.
Sed jam qui fuerit sensus,quæ nostra vicissim
Vota,ubi Romulea Nuncius urbe redit,
An cupis ex me nosse? sed hęc iniurius ipse
Aut nescis,aut me posse referre putas.
Ante fidem,famamquè omnem sunt gaudia nostra,
Angustiquè modum pectoris exuperant.
Sic tua Parthenope, sic cætera cuncta triumphant:

Sic

Sic eadem nulla gaudia parte vacant.
Ipsi qui montes, ipsæ quæ marmoris undæ,
Ipsa etiam culti quæ sata læta soli,
Undique lętitiis contendere: nullaquè nostri
Non gestit magnum pars hilarare diem.
Cuncta fremunt plausu: tollunt ad sydera cuncta
Lætitia voces: & tibi cuncta sonant.
Ante omnes non dives aquarum, & dives amoris
Sebethus toto flumine jactat aquas:
Et bis lymphatus discurrens æquora, fertur
Hac una ripas transilvisse vice:
Obduxitquè agros latè felicibus undis;
Illa triumphantis vox, habitusquè fuit.
Nunc se, nunc audet fluuiis componere magnis:
Atque illos inter se numerare solet.
Vtquè alii auratas torquere ferantur arenas,
Aut quocumquè alio sint pretiosa modo:
Tu sibi pro auratis, imò has supra, unus arenis
Es magis. in Te uno cuncta tenere putat.
Ergò age, ne nobis præsentia gaudia differ:
Fac repetant portus patria vela suos.
En Tibi se placidum sternit mare: nullaquè toto,
Te soluente, audent tristia flabra salo.
Vna dies toto mihi nunc est longior anno:
Impello votis tempora lenta meis.
Et Tibi se comitem junget Fortuna, nequè unquam
Abscedet nostris, Te moderante, plagis.
Scis etenim scis ipse, quibus me fluctibus olim
Jactarunt meritis congrua fata meis.
Gratulor, ista Tibi tantùm exaudita: nec eodem
Implicitum fluctu supposuisse caput.
Ipse meos in me vultus, cultusquè requires,
Nequicquam, qualis, conscius ante, fui.
Infandi quantùm larga est ea vena doloris!

Non

Non interruptis fletibus ora madent.
Flectere nulla animum potuerunt gaudia: fixit
Quippè, hausitquè ingens mollia corda dolor.
Vnus hic excussit lacrymas modò Nuncius: ex hoc
Est, magnum lacrymis imposuisse diem.
Nunc primùm libuit pullam deponere vestem,
Ac phrygia pictum ducere syrma manu.
Nunc primùm indulgere choris juvat, atque juvabit:
Dum sinis, aspectu me tolerare tuo.
At si aliò Te fata vocant, & fortè vocabunt:
Vrbs tua pro toto ne cadat orbe, vide.
Sis memor usque mei, primasquè unde hauseris auras
Vsque refer; saltem sim tibi cura leuis.
Sed jam rumpe moras, celeresquè assume recursus:
Ipsa Deo pro te sospite dona feram.

Non-

Non dum ab Inferorum superstitione libera, suetam opem præsentiùs exoratura, Societati Neapolitanæ India.

ELEGIA XVI.

QVam mihi vos dabitis,do vobis ægra salutem
India,nequicquam luminis una parens.
Sole novo sedenim gaudens,& luce marita,
Vsque sub æterna condita nocte premor.
Deposui patrio medicatas murice vestes:
Distinguit nullas Indica gemma comas.
Ferali tantùm circundamur undique palla:
Et coma disiectis obtegit ora comis.
Ergò nulla mei superat vos cura doloris?
Nullus & exiguus viscera tangit amor?
Ergò illi periere dies, & secula, cùm vos
Quæritis eoos,longa pericla,sinus?
Namque ego quæ vidi vestris pugnata maniplis
Bella? quot inferno rapta trophæa Iovi?
India,tolle oculos:spes India tolle;recurrunt
Secula margaritis candidiora tuis;
Et mihi dicebam: hi nobis facere otia,magnum
Hi tandem poterunt imposuisse diem.
Diripuere tamen tam candida vota procellæ:
Rumpit nunc animum spes revoluta meum.
Multa dies,& multa dies,ex quo Ausonis alnus
Nulla tenet nostras officiosa plagas.
Ipsa diu noctuquè ingens mare lumine lustro:

Tangit si qua meos hospita cymba sinus.
Sed vos Parthenope, vos cura ignobilis oti,
Vos cohibent patrii mollia culta soli.
Lymphaquè Sebethis prior est Gangetide lymphæ
Nec vasto crater vertitur Oceano.
Excidimus tandem, excidimus. nunc orbis ab orbe
Exul: nunc vobis barbara terra vocor.
Barbara sed quamvis: me vestri habuere parentes.
Magnanimûm mutent vos nihil acta Patrum?
Nos adiit, nos clara ipsas de gente Rodulphus:
Nec doluit nostro concaluisse die.
Quid te, Constanti, memorem? tacitum ne relinquam
Te, Marcelle, mei cura, decusquè soli.
Quantus amor? qui vultus? erant quæ pectoris ima
Gaudia, cùm nostras velificabat aquas?
Non ita, qui referunt plena se puppe, triumphant:
Lætus ut in pœnas se tulit ille suas.
At vos tantorum nil mutant facta virorum:
Inquè animos tandem vos piget ire pares.
Itala quò virtus? quò cessit dura malorum
Pulsa fames? cessit quò necis unus amor?
Num tenet ingentis non ludicra fama pericli?
Num mora tam longæ non toleranda viæ?
Num geminæ Oceani præcelsis montibus undæ?
Et pejora mari cærula monstra maris?
Num mea barbaries? num gens sine more, sine urbe,
Quæ vivi soleat membra vorare patris?
Hæc fateor: quin adde nocens, & perfida quàm sum
Hospitibus, nostra qui cecidere manu.
Adde venena, ipsas cæli intractabilis auras,
Quæq; famem duplicat parca medela famis.
Ast hæc irritant animos ad fortia natos;
Vos quoquè traxerunt ista pericla diu.
Quippe ferebatis; brevior via ducit in axem,

Di-

Divite quam fusus proluit amne cruor.
Quare agite,abiectam mihi tandem sumite mentem:
Sumite magnanimos ad pia facta modos.
Vos mihi votorum cumulus,vos una salutis
Ara meæ, segnes præcipitate moras.
Nunc Tethyn tentare,metum nunc ponere tempus.
Quas Mercator amet,vos trepidatis aquas?
Et pudet,ut nostro religatas litore cerno
Mille relaturas æra caduca rates,
Sive Erebo infossum melius deducitur aurum:
Seu petitur cæco lucida gemma mari.
Huc & odoratas lecturus navita fruges
Uenit, & intactas improbus ardet opes.
Exitium exitio redimunt,morituraquè dona,
Adverso nimium Numine,morte parant.
Uos,quibus hinc laudum segetes, palmæquè metuntur,
Vos,quibus hinc cęlo molle aperitur iter,
Exhorrere trucis sinuosa pericula ponti?
Flabraquè terrifici pertimuisse noti?
Ecquis honos,nomenquè manet post pallida fata;
Si manet, ignavis insenuisse focis?
Degeneres si tecto animos, patriaquè fovetis:
Si Soles lenti conditis:ecquis honos?
At non ista dabat documenta Ignatius: ista
Non equidem deni vos docuere Patres:
Qui, quoniam exiguo natalis clauditur orbis
Limite,in ignotos transilvere sinus.
Quo mare,quo tellus,quove omnia tempore currunt,
Punctum erat, aut puncto si minus esse potest.
Sed nobis tenui ex numero vix obtigit unus:
Si duo præterea sidera amica darent,
Nec deserta meis resonarent antra querelis;
Nec tereret vestras litera missa manus,
Litera, quæ latè lacrymis interlita fusis,

Vivere vix patitur, pauca notata manu.
Has ipsas lacrymas, & quæ suspiria, testor,
Muta sibi nunquam litera ferre potest;
Si vos marmarico pavissent lacte leænæ:
Si pareret duro è robore triste nemus;
Barbara barbariem paterer cognoscere vestram:
Narraret casus pagina nulla meos.
Vos miti mites, nitidoquè sub aëre nati,
Ploratam miseræ non properetis opem?
Hæc ego; vos contra tandem miserescite nostri:
Si facitis, nunquam fama tacebit opus.

DIVVS

DIVVS IOANNES CALYBITA

Adhuc impuber domo abſceſſit; eundem per literas Mater reuocare conatur.

Theodora Ioanni ſuo.

ELEGIA XVII.

ISta tibi patria profugo, nocturne viator,
  Plena venit matris pagina, plena mei.
Hanc inter gemitus, fletus hanc inter amaros
  Delevit potiùs, quàm Theodora, dedit.
Diceris, ad fines fugiens properaſſe Sabæos;
  Iſta, reor, tantùm tygribus ora patet.
Mens erat iratæ, ſceleris deſcribere pondus;
  Ni pondus verbis eripuiſſet amor.
Tunc ſi fortè manus vult aſpera credere chartæ;
  Neſcio quæ mater ſuſtinet ægra manum
Conditio proh dura! furor nos urget amantes.
  Heu quis agit vacuus ſemper amoris amor?
Tempus erat, quo jam roſeo madefacta fluento,
  Aurora emergit, reſtituitquè diem.
Eos ſi tamen illa fuit, non turbida Erinnys:
  Nobis ah quanti nuncia ſera mali.
Tunc etiam & tacito ſolvebat membra ſopore:
  Membra fatigarat pendula tela jugo.
Nequicquam placidam perturbant ſomnia mentem
  Intereà: & monſtris rumpitur alta quies.
Cumquè infelices tergebam pollice ſomnos:

Ecce repentinis imbribus ora madent.
Extimui injussos fletus, malè nescia causæ;
Miror & os lacrymis, corda dolore premi.
Natus ades: clamo clamanti accurrere natum
Qui posset vocem reddere, nullus erat.
Exilio exanimata toro, natumquè reposco;
Nullus erat. medium natus habebat iter.
Causa latet: dum cuncta puto. at nil nosse timendum,
Plurima tunc miseræ causa timoris erat.
Cur non tunc sorpsit me conscia terra dehiscens:
Sola forem tantum ne dolitura nefas?
Quid memorem timuisse: comas dum scissa gementis
Ingreditur sedem Callianira soror?
Tunc ego semianimis, magni præsaga doloris,
Fare age, quid, clamo, vult tuus iste dolor?
Responsum ut cupio! ut timeo! vix addidit illa:
Natus abest tectis, ò Theodora, tuis;
Qualis, amor sylvæ, jaculo suffossa columba
Decidit, & rostro saucia mandit humum;
Sic ipsa accubui exanimis. libet, altiùs omnem
Ingemere; & gemitus angit in ore dolor.
O tibi quæ recolo solatia rapta. profectò
Ista forent oculis digna theatra tuis.
Istæc, credo equidem, tibi si spectata fuissent:
Non tua perflarent impia vela noti.
Accurrunt famulæ lymphis, vitamquè minantur.
Heu. miseræ eripitur tunc potuisse mori.
Sum mea. quid facerem? lacero sine more capillos:
Uberibusquè furens ter quater acta manus.
Huc illuc moritura feror: nec lassa quiesco;
Cum pars deficeret, dimidiumquè mei.
Tantùm ubi desertos aspexi territa lectos,
Obstupui, incumbens sic peritura toro.
Prætentatoquè manu, si quis calor ultimus inter

Stra-

Stragula discessus indicet ille nouos.
Lectos ut sensi gelidos;heu,perdita dixi,
Furta recognosco jam diuturna viæ.
In nomen feror indè tuum noctesquè,diesquè;
Ibant in nomen tecta relicta tuum.
Dente velut metuendus aper si fortè gregis spem,
Qui nondum valida fronte minatur agro,
Et vix depulsum mammis per aprica juvencum
Dissecat;in facinus pellit iniqua fames.
Mater ad umbrosas sylvas,spelæa ferarum,
Errat;& assiduis questibus antra sonant.
Hos aditus, jamquè hos aditus vestigat ab omni
Parte: & nequicquam pignora voce vocat.
Talis ego. at tu lætus abes: neque cura tuorum
Te tangit: matris te nequè tangit amor.
Et memini, te etiam æquore dissuadente carinam
Soluisse,ac dubiis vela dedisse notis.
Sed tempestatis quænam tibi cura fuisset:
Si,dum me fugeres,mors tibi munus erat?
Et quò me fugeres,aurum tibi nescia fraudis
Ipsa dedi,in pœnas officiosa meas.
Quippe nouis odiis placuit noua forma nocendi:
Ut mea contra me munera tela forent.
Quid prolem volui,& nomen genitricis amaui?
Hoste mihi soboles plùs metuenda fuit.
Cuncta in te amisi simul;& nox abstulit una,
Quæ mihi vix possent omnia secla dare.
Tecum spes abiere meæ,corruptaquè vota,
Et quæ fingebam,sed renuente Deo.
Sæpè mihi dicebam: dum est hic iturus in hostes:
Quàm benè dux magnus patria bella geret.
Et quia,quæ cupis, hæc animo facta esse putare
Mos est:ante oculos jam mihi victor ades.
Gaudia quid matris referam? tu testis,& author.

In risum nobis tu satis unus eras.
Sed nunc, dum exul abes, mutato jam ordine rerum,
In funus nobis tu satis unus eris.
Nam tua me exanimat non sueta laboribus ætas,
Fracta per immensi longa pericla maris.
Me terrent hyemes, tempestatesquè frequentes;
Et quidquid ratibus fert maris unda mali.
Et quamvis dederint superi feliciter omne
Emensum pelagus sospitis arte ratis;
Quis tibi defesso, pelagiquè erroribus acto
Securos portus, hospitiumquè dabit?
Quare age, ni totum pepulisti pectore natum,
Jam redi, & ad notas, nate, recurre sinus.
Per precor, has lacrymas, per cunctis cara parentum
Nomina, perquè tuas te precor ipsa fugas;
Reddere: si reliqua est pietas servata per undas.
Reddere: si matri mollior hostis ades.
Nate, datum satis est iræ: satis ipsa dolorum
Usque tuli; reduci jam freta pelle rate.
An ne procellosi metuis discrimina ponti?
Ah prius hic etiam permetuendus erat.
Attamen haud redeas: nisi strata æqualiter unda
Præparet immunes, & sine fraude vias.
Tempora non curo: tua dummodo vela recurrant;
Dum sospes: tardus non mihi, nate, redis.
At nisi, nate, redis; te & si tantùm orba carebo:
Urbe vel in media te magis exul ero.
Saltem, ubi perveniet nostro de funere fama,
Quæ citò perveniet, sub mea fata veni.
Conde oculos: patrio corpus compone sepulchro:
Et, si quis mutat te pietatis amor,
Trade, tui seri cineres condantur eodem;
Et manda, hoc carmen marmora nigra notet:
Viuite felices reliquæ cum prole parentes;
Dum mihi dant nato sola sepulchra frui.

IO-

IOANNES THEODORAE.

ELEGIA XVIII.

ORbis ab extremo, quò tandem litera venit,
Natus & has inter reddidit antra notas,
Quæ lacrymis maduere suis: ne fortè putares,
Cautibus ex istis me didicisse tygrem.
Ista equidem non corda fero; pejora tulisse,
Ut tua me immeritum longa querela velit.
Vix ea, quæ fuerunt, legi, mihi scripta; profusos
Continuò ad fletus incubuisse, feror.
Non oblita mihi sunt, fallere, cara parentum
Nomina: sunt alta condita stirpe solo.
Non docet hæc pelagus: non hæc oblivia tempus
Attulit: immensæ nec peperere viæ.
Quæris hyperboreas: libyæ si pervenis auras:
Non fugies; comitem se tibi junget amor.
Despicit ille nives: refugit non ille calores;
Hospes erit Boreæ; nec timet esse noti.
Arguis immemores jam nos habitare Sabæam.
Ut scires, quanta hoc jurgia pectus habet!
Nec me tam sæuum, nec perfida vela vocares;
Nec periura, thetin quæ fidit, alnus erit.
Sol oritur cœlo. lacrymæ nascuntur amaræ;
Imminet oceano: nil minus ora madent.
Astra ferunt somnos: adimit mihi lacryma somnos;
Redditur atque dies: redditur atque dolor.
Tempora voluentem mihi non mutantur in annum:
Ver, autumnus, hyems, æstus ubique pares.
Rideat ut tellus ludenti concolor anno;

Ve-

Vere tuo nobis mæſta videris humus.
Cum ſe mitis ager flaventi condit ariſta:
Felix. infelix non mihi flavet ager.
Atque dies tantùm nocti differre; quòd ille
Diſcors triſtitiæ, concolor iſta meæ eſt.
Inter odoratas ſolvunt ſua carmina ſylvas,
Atque auis, atque udæ conſcia Nais aquæ.
Tunc auræ, Zephyriquè, & ludicra collis opaci
Ripa, repercuſſo flamine, dulce fremit.
Ipſe ſub annoſam repeto mea vulnera ſylvam:
Elicit hic lacrymas Roma relicta ſuas;
Sæpiùs ipſa tuas repetis. crudelis an iſta
Signa, parens, noſtri pectoris eſſe, putas?
Quæris: inoffenſus cur ergò deſeris arva
Auſoniæ? eſt ne aliquis, quem doluiſſe, juvat?
Sed tu iſtos, neu crede, abitus mandaſſe furorem;
Vel ſuper hac odium conſuluiſſe fuga.
Non is corda dolor diſcerperet: iſta nec imbre
Sic deleretur pagina penè meo.
An genitrix odio fuerit? tam ferreus ullus
Oderit an patriæ limina cara ſuæ?
Ad caput ante ultro fluvialis lympha recurret:
Ignis ſubſidet: ſidera tanget humus;
Sol reget aduerſæ tenebroſa volumina noctis:
Nox vehet illuſtres fulgida Solis equos.
Sed procul eſſe, juvat. Non te, tua fugimus. ipſa
Non ingrata parens; eſt mihi grata quies.
Eſt hic, eſt animus Scythiæ non cretus ad auras:
Nec mihi ſanguineæ lac properaſtis equæ.
Et me matris amor tangit, patriæquè, lariſquè:
Ampliùs & comitum me quoquè tangit amor.
Aſt is, qui Superùm ſolet eſſe potentior æſtus,
Ad ſua me facilem fervida caſtra rapit.
Teſtor & ipſam te, quoties me ſponte videbas,
In

In lacrymas oculos diſſoluiſſe graues.
Tu mihi dicebas: mea lux,te cura remordet;
Illa Dei pectus ſigna agitantis erant.
Sed poſtquam placuit patrios mutare penates:
Ob mea tu ſemper lumina mater ades.
Ipſe jubebat amor diſcedere:& ipſe tenebat;
Utraquè cùm vellet reddere:neutra poteſt.
Ah quoties doluere fugæ mea pectora fraudes:
Atque priùs flentur,quàm placuere doli.
Omnia nox nigro præcinxerat æquora velo:
Ac tacitum nautæ luna miniſtrat iter.
Tum quos furamur lacrymis, innixa rudenti
Accipiunt ſomnos corpora luminibus.
Tu tamen in ſomnis laniata genaſquè,ſinuſquè
Quales ah gemitus,& mihi verba dabas!
Viſa manu celeri lacerare natantia vento
Carbaſa: tu clauum vertere viſa manu.
Erigor: & lacrymis ſubitùm ſalientibus ajo:
Infelix quantis ludor imaginibus!
Ter ſtetit,aduerſo reducem dare lintea vento;
Signaquè ter cœlo lapſa procella dedit.
Ut tetigi litus,contraria brachia tendens,
Italiam jubeo viuere ſæpè ſibi.
Exin monticolæ ſocios videre leones
Arboreas inter nos habitare caſas.
Hìc mea paupertas,& nullius atra peculi
Cura mihi placidos urget amica dies.
Turba tibi ſtipat famulantum corpora:nobis
Nulla;ſed his degit tutus ab hoſte locus.
Sunt tibi opes decori: tibi millia jugera arantur;
At nobis faciles herba miniſtrat opes.
Textile formoſas ædes tibi contegit aurum;
Et viridis muſcus contegit uſque meas.
Illa fatigarunt gangetica furta; ſed iſta

Spon-

Sponte sua nobis humida nevit hyems.
Nunc igitur tantùm certè distamus uterque,
A pinu quantùm gramina lenta solent.
Ripheus quantùm ciui concederet exul:
Credor ab exilio te minor esse meo.
Forsan & ignoror, multo qui temporis absum;
Immemorem potius Roma superba facit.
Qui colit à Zephyro feriata cacumina Olympi,
Depressas nimiùm non videt ille casas.
Pro orphea cythara, pro Amphione plectra mouente
Quis pelusiacæ murmura quærat aquæ?
Ast urbis te turba premit, scelerumquè tumultus:
Tequè æstus populi non requietus agit.
Nam ratis ad pelagi motus agitata mouetur;
Et fluit exiguus, ceu fluit unda, lapis.
Cinnama ab arctois nunquam venere pruinis:
Non, ubi sol urit, vernat odora seges.
Optatum è scopulis unquam quis rettulit aurum?
Cui surdum propter palluit uva fretum?
Sidera sola polo rident prætexta sereno:
India, glebam auri regia solis habet;
Inquè sinu eoæ ros congelat amphitrites:
Et soli nubit concha marita polo.
Nulla quies opibus: pax distat ab urbibus alta;
Munera sunt nemorum libera corda metu.
Ah mea mens quoties meminit sibi temporis acti:
Cum nos infausta Roma tenebat aue:
Diuitiis, comitumquè manu cum dulce fruebar;
Quàm, gemit, ò, præstas gaudia curta, dies!
Oceani fluctus, manet his constantior iris:
Non adeo celeri volvitur orbe rota.
Si dolor, ut tempus spatio gauderet eodem:
Terror ab aduersa non mihi sorte foret.
At si summa rotæ pars in contraria versa est:

Hanc

Hanc ſiſtit clauis ex adamante dolor.
Ergò ſi quis amor noſtri ſub pectore reſtat:
Ne geme; quòd tantis dicar abeſſe malis.
Cede Deo: compeſce animum; & tunc ipſa putato,
Me diſtare magis, cum tibi viſus ero.

DIVVS EVSTACHIVS

SEV PLACIDAS

Ad litus vnà cum duobus gnatis expoſitus, direptam fraude coniugem lamentatur.

ELEGIA XIX.

QValis in herboſo, quà labitur unda Cayſtri,
Fata vocat, poſitus litore, canus olor;
Seu, quà paſtor oues lento compellit hibiſco,
Qualis ſuaue gemens flet philomela melos;
Ductus ad ignoti ſine conjuge litoris oras,
Dicitur hos Placidas eiicuiſſe ſonos.
Torpebant Zehyri: non ludit in arbore ramus:
Vix pigra pacato fluctuat unda mari.
Tunc etiam liquidum findebat adultera pinus:
Atque redux longum nauta ſecabat iter.
Ille igitur gemitus ſtudio cùm jactat inani,
Iuit in hæc vehemens irrita verba dolor:
Proh ſuperùm leges, humanaquè jura! quod iſtuc
Eſt facinus? jubeat tam malè cæcus amor?
Ah pietas! ubi ſum? quis me locus occupat? aut quæ
Subiicit hæc oculis æquora ripa meis?
Sum ne ubi torret equis Titan propioribus Afros?
An glacialis ubi flumina frænat hyems?
O dolor, ò lacrymæ, temerati ò fœdera lecti.

Quæ

Quæ portenta refers imperiosus amor?
Cernis,vt æquatas intendit carbasus alas?
Utve salis spumas uncta carina ruit?
Ut mare composito ridet perjuria fluctu?
Perfida inæquales ut juvat aura fugas?
Et juvat,& video; lacrymas sed præter inanes
Nulla mihi ignoto in litore tela fero.
Sed quò ventorum tam magna silentia? & undæ
Cur fera tempestas temperat? unda rati?
Fas,& jura sinunt: turpis mergatur adulter.
Est pietas,merita cæde piare nefas.
Æquior haud unquam turbabit in æquore fluctus:
Nec magis innocua sidera tanget aquâ.
Ergò hyemes,furiosæ animæ,cita fulmina, mortes
Sunt ubi? mutarunt an mihi cuncta fidem?
Eheu, quid petii misero mihi! vulnera telo
Admoueo: ut lacrymas lacryma pejor agat.
Dispergant mea verba noti: sine pondere verba
Sint. tempestates sistite: lympha caue:
Aura remitte preces; recidunt in me mea vota.
Concitus expressit talia vota dolor.
Ne pereat perjura ratis, meus ignis in illa est.
Servetur; plena est illa carina mei.
Bella mihi gererem: cuperem sine munere munus?
Dona meis lacrymis officiosa peto.
Unda velit quamvis sontem discerpere: letho
Quæ sors discrimen,naufragioquè dabit?
Non omnes meruere mori;nec vita perire
Una potest:quamvis una perire meret.
Ah noua barbaries. ergò mea damna necesse est,
Ut cupiam: utquè magis,quò minus ipse gemam.
Ipse juvare nefas,abitusquè optare secundos:
Atque pati nostra vulnera facta manu;
Ipse ego crudeli felices poscere ventos,

Dele-

Debebo: ut refluas frangat adulter aquas;
Ut redeat lætus non ulla uxore maritus:
Vera ego dum conjux conjuge falsus ero.
Vota feram superis: votis potietur adulter;
Atque erit, ut doleam, non doluisse nefas.
O ego si tantum potui sperare dolorem:
Morte magis fuerat permetuendus hymen.
Ite leues animæ: puppim cognoscite vestram;
Ferte: licet numerum fert minus illa suum.
Sidite jam fluctus: & inertia ponite, cori,
Murmura, ne tumida cymba laboret aqua.
Sol vehat innubes radios: jubeatquè serenum
Sidus iter. mihi det nubila cœca polus.
Ipse etenim illacrymo: uni conueniunt mihi nubes:
Unaquè nox oculos deprimit usque meos.
Nauta beare; tibi parta est victoria. nostris
Imple te lacrymis: his, fera conde sitim.
Nos etenim fleuisse, & molli mollia corde,
Ignoras quæ tu sensa, tulisse, scias.
Jam te læta decent: vestes tibi sume maritas;
Jam tibi dotales dant tua furta faces.
Conjugium discede vetus: discedite flammæ
Nunc interdictæ. pronuba teda fuit.
Sed quanquam fuit illa: sueto carpimur igne;
Et malè sana tenax vulnera scindit amor.
Flectimur ecce iterum: rursus mea jura reposco.
Quò mea, nec mea jam, cui Theophista redit?
Vector, quem Tauri saxa aspera, quem Garamantes,
Sævi hominum, tantum perdocuere nefas,
Et silices, credo, & duras tibi cedere quercus:
Vbera siccasti tygridis Armeniæ.
Quæ te barbaries, aut quæ dementia mutat?
Hæc tibi consilium suggerit: illa manum.
Credis ita, ò demens, venales conjugis ignes?

Bar-

Barbare,sic conjux diripienda fuit?
Quò fugis immitis.nec te data dextera tangit;
Sanctaquè polliciti numina nulla times?
Quò rapis hanc animam:quò cor à corde revellis?
Vita deest nobis;si Theopista deest.
Num scelus est,onerasse ratem? peccavimus ambo.
Culpa duos habuit;quin quoquè pœna duos?
Quid verbis verba, & fletus quid fletibus addo?
Non flamma à lacrymis mergitur ista meis.
Nunc igitur valeas,bona conjux,irrita conjux.
Supplicia heu misero tu mihi quanta paras!
Et,me felicem tua te quòd digna venustas
Fecerat,en eadem quot fera bella movet.
Esses tuta magis:minus ò si forma placeres;
Quòd latuisse nequis,tu tibi pulchra noces.
Ipsa cruentaris,quoties placitura cruentas;
In te,quam torques,falsa sagitta redit
Sed magis,atque magis pelagi per terga recedit
Connubium infelix;pronuba cymba latet.
Lintea summa patent:eadem tenuantur;& ecce
Signa citæ video vix superesse ratis.
At vos,quid tenero lacrymas urgetis ocello,
Pignora,quæ nostis vix mala vestra pati?
Mater abest,rapuitquè viri furiosa libido.
Proh dolor! hoc semper litore mater abest.
Vos olli quantos lacrymarum cogitis imbres;
Hæc aliquam partem ad litora ferte, noti.
O gemitus pars magna sui. minus,ille,dolendum,
Vos quoquè si nobis eripuisset,erat.
Falleret ipsa diem: miseros expleret amores:
Divideret natis oscula nostra suis.
Quid meus ah sanguis, quid,nati, colla tenetis:
Nostraquè lacrymulas voluitis ora super?

Nil matrem clamare juvat:dediſcite matrem;
Me quoquè, & uxorem dedidiciſſe, decet.
Dixit,& interrupta in faucibus obriguit vox;
Ac lapidi incubuit nil minus ipſe lapis.
Atque dies ima dum manſit celſior unda;
Aut videt:aut certè vela videre putat.

DIVVS IDEM EVSTACHIVS,

Amissa jam Conjuge, deflet binos à bellua natos ad fluminis oram ereptos, cum ipse alternos transvehebat.

ELEGIA XX.

NOn satis vndoso fluxerunt mollia ponto
  Lumina; non conjux est mihi fleta satis.
Illa satis non fleta, superbæ præda carinæ,
  Quæ sibi fert nostras per freta surda faces.
O pater, ò nomen sylvis, tygribusquè relictum.
  Tam grauia ut ferrent, quid meruere mei?
Sed meruere; mei quoniam sunt. est scelus, ipsos,
  Esse meos. patris pignora facta luunt.
Ergò ego tantorum fax importuna malorum
  Vivo equidem; dirum nec ferit æthra caput;
Insontes, scelerisquè animas ferit aspera puras:
  Et jubet, immeritos dilacerare tygres.
Nę tu, quæ pateris, nescis. mors muneris esset
  Instar. vita tibi maxima pęna tua est.
I, viue, ac longis olim te fletibus exple:
  Et tibi nigrescat concolor usque dies.
I, longùm, æternùmque dole; non sufficit una,
  Morsquè breuis. debes ipse perire diù.
Nempe perire diù debes. hòc ipse perempto
  Es genitor generi, conjugioquè super.
At vos, me miserum! dulcissima pignora, nati,
  Pascitis intereà sæva per arva leas.

Et noſtrum potant nemoralia monſtra cruorem:
 Oſſaquè vulnifico dente tenella terunt.
Hei mihi,qualis eram,gemino cùm bellua nato
 Fluminis à gemina parte timenda venit!
Horreſco recolens. mediis ego prænſus ab undis,
 Ut cupio,ut nequeo,ferre duobus opem!
Hìc timor,atque illìc etiam timor; hìc amor,atque
 Illìc nos etiam ſolicitabat amor.
Ergò animum, corpuſquè ſcidi in contraria; verto
 Me hàc,me illàc veluti corpore,corde duplex.
Procurro & dextra,& læva: pariterquè recurro;
 Alas adverſis greſſibus addit amor.
Diuidor uſque adeo,clamanſquè, gemenſquè; me uterq;
 Extimulat natus: natus uterque mora eſt.
Intereà hæremus dum ſic, trepidiquè moramur;
 Infantem iſta ſuum ſuſtulit,iſta ſuum.
Nos fruſtrà voces contra jactamus; in altum
 Utraque proripuit ſe truculenta nemus.
Sic placitum Superis: benè ſit. placuiſſet eiſdem,
 Me quoquè crudeles exaturare feras.
Nam quò ego bis ſolus redeo? ſine conjuge quò nunc
 Me refero conjux,& ſine patre pater?
Quæ vertam non felices ad litora greſſus?
 Atque deerrantem quis locus accipiet?
Me mare,me tellus,ſaltuſquè,amneſquè cruentant.
 Ulla ne vos pietas detinet,aſtra,mei?
Credo equidem,bona cura tenet,pietaſquè mei vos;
 Indignum tamen eſt hoc pietate caput.
Hinc tot inexpletùm cumulamur cladibus; atque hinc
 Promeritos mortem mors inimica fugit.
Aſt,utcumque velis deinceps fortuna,ferire
 Nulla potes: telis eſt via clauſa tuis.
Ipſa olim potuit noſtros corrumpere campos,
 Et magnos potuit depopulare lares.

Tum

Tum patria extorrem innumeris jactare periclis:
 Et stabilem profugo sæva negare locum.
Ah, etiam potuit thalamis viduare; dolosi
 Trador ubi furiis, ludibrioquè viri.
Quin etiam, heu pietas! mea viscera in atra luporum
 Viscera crudelis mergere, nunc potuit.
Plus fure; plura tui si sunt momenta furoris.
 Nil ultra certè, quod rapiatur, erit.
Relliquiæ superant animæ fugientis; at istam,
 Munus, si rapias, officiosa facis.
Hanc animæ partem modicam cape; maxima namque
 Altera jam multo est funere capta tuo.

ECHENEIS.

ELEGIA XXI.

QVæ noua perveniunt ad nos miracula? famæ
 Credimus? an ſtruitur fabula? mira canunt.
Fabula non ſtruitur: mihi credite. cernere campo
 Jam datur oceano mobile prodigium.
Naſcitur exiguus non exiguo omine Piſcis.
 Quis fieri à minimis maxima ſæpè neget?
Bellua vix atomos ſuperat: vix bellua punƈto eſt
 Major; at eſſe gigas viribus ipſa probat.
Muſa fav e; tibi cedit honos: tuus iſta Sacerdos
 Ut doceam, cui tu das animare fidem.
Viuax tuquè adeo maris anchora, carmen habeto,
 Bellua, quæ nomen, quòd remoraris, habes.
Mæonio licuit concedere ſeria ludo:
 Et didicit faciles tetrica muſa jocos.
Atque citum pedibus ſubjecit Achillea ranæ:
 Nec puduit, mores mure referre ducum.
Quin etiam vates, genuit quem Mantua Pindo,
 Scilicet in parvo non leue finxit opus.
Tu labor es nobis fera parvula. parvus & ipſe
 Vates. ſed caue, ſis tu mora carminibus.
Amphitrioniadem jaƈtant portaſſe Deorum
 Sedem humero. mendax fabula: quì potuit?
Hæc fera præcipites cœli frænaret & orbes:
 Siſteret hæc ſolis, ſole ruente, rotas.
Fortè, ut rumor ait, virides maris abiete campos
 Scindebat pleno concita cymba noto.
Afflabant Zephyri. ratis euolat ocior ipſo

Fla-

Flamine, quo fertur: fulmine visa rapi.
Fecerat aura sinus totos tota addita velo:
Tangebat summas vix cita puppis aquas.
Quæ mihi vis aderit? quis erit mihi Phœbus Apollo?
Dum monstra hæc refero, quæ dabit aura fidem?
Vera loquor. procul este, nigro qui dente Poëtas
Scinditis, & nostras commaculatis aquas.
Testis arenosi Rex æquoris: altera testis
Filia cæru lei tunc quoquè & ipsa senis;
Ille ubi arionium subigit delphina per undas:
Hanc ubi fert placido lubrica concha salo.
Amborum ante oculos ratis impetuosa resedit:
Et nihil ad cursum vela coacta valent.
Non secus atque loquax ignotum machina tempus
Quæ docet, ac refugum diuidit æqua diem;
Paulatim secum labentes ruminat horas:
Cuspis ubi alternat non requieta vias.
Cum subitò ad motum dentatos excitat orbes:
Solvitur, & gyros orbis ab orbe rapit.
Vulgus ubi centum strepit orbium: aheneus alta
Malleus in partes narrat ab arce diem.
Hinc fragor, hinc sonitus: rota perstrepit: æra loquūtur.
Temporis at puncto machina tota silet.
Virgula parva, chalybs, rapidos intercipit orbes:
Et frustra ad motum pensile cogit onus.
Supposuit subitò ac veloci terga carinæ
Pumilio vasti marmoris, atque gigas:
Clauo fixa ratis visa est hærere profundo.
Obstupuit Nereus: obstupuere Deæ.
Extemplò nautis gelidus timor ossa cucurrit.
Ille putat scopulos: hic vada cæca putat.
Attamen, ut filo placuit tentare profundum,
Causa patent noxæ nec vada, nec scopuli.
Punctus erat lenti discriminis abditus author:

Abdita punctus erat par mora naufragio.
Irruat æolio ventorum exercitus antro;
Irruat: æolias dissipat una minas.
Æquet hyems cœlo sævum mare; sola carinam
Sic tenet, ut moles nulla tenere potest.
Ergò age, da majora rati luctamina, Corus,
Corus in hesperia seditiosus aqua.
Adde Eurus, Notus adde, age, flamina, quanta refundunt
Æquora sideribus: quæ juga concutiunt;
Seu quales, ajunt, animas torquere saburram:
Vexat arenosos dum libys Auster agros.
Sunt ubi pulverei fluctus, & sicca procella;
Hic ubi naufragium tu quoquè litus habes.
Nil agitur: venti concedite. mobilis ante
Menalus, aut Pindi culmina sacra jugi.
Ante suo tellus abscesserit excita puncto.
Flate aliò; labor est irritus ista ratis.
Nunc refer omniparens, cur hæc, Natura, creantur
Monstra? mihi arcanæ suggere mentis opus.
Nam neque, credo equidem, sita vis magnetica tergo
Accidit injustæ condita causa moræ.
An, quoniam puduit calcari Nerea ligno,
Illudens artes alligat arte ratem?
Si pietas fuit illa maris: pietas ne profundum
Tangit, ut in mediis tuta sit alnus aquis?
Non ea sunt tanti, malè fingimus, omina monstri.
Arguit humanum bellua pigra genus.
Quid trepidis, inquit, laceratis cursibus ævum:
Nec piget, ad funus mille aperire vias?
Tuta quies si grata: recurrite; non benè ponto
Creditur. in mediis mors dominatur aquis.
Ah gens Japetidùm non ulla explebilis arte,
Pellit ad hæc auri vos furiosa fames.
Vos Divùm, atque hominum; vos jura refringere Mundi;
Com-

Comparet ut tantum vilia furta nefas.
Auri sacra fames permiscuit orbibus orbes:
Confusæquè vetus res petiere chaos.
Quæ tulit Eous,cernit sero Hesperus astro:
Algent nunc Borea,quæ caluere Noto.
Non Deus oceanum tranandum robore finxit;
Oceanum voluit limitis esse vicem.
Sed tamen hæc latis injecta repagula terris
Transilit infausta perfida puppis aue.
Ite leves pelago, Zephyrus vocat,ite,carinæ,
Addere naufragiis,quas rapuistis opes.
Pauperies instat: fugite hinc. date lintea vento.
Fidite: præstabit mobilis aura fidem.
Scilicet. heu miseros! ea stat sententia fatis:
Ut quæ tot casus,tot peperere viæ:
Quæ maris exuviæ,labor & quæ maximus,& quæ
Mille dies tulerunt: auferat una dies;
Ut post oceani grauida freta pulsa carina,
Nigra sit à vacua prætereunda palus.

De

De Bombyce.

ELEGIA XXII.

VErmis, honor fecli, villosi carceris hospes,
Sericus,in tumulo,quem tulit ipse,jacet.
Exiguus non arte opifex,alterna recurrens
Fila,velut lingua nobile finxit opus.
Nevit honoratas sibi viscere prodigus urnas:
Inquè opus apposuit nil super ora suum.
Ore etenim ducit fatalia licia:& inter
Natales tumulos conditor ipse latet.
Nempe latet;rediviuus enim,nec debitor orci
Sponte sepulcrali clauditur orbiculo.
Reptilis exuvias positurus quippe senectę,
Vel sibi fert cunas:vel sibi fert tumulum.
Solvitur in cineres,pennatæ semina vitæ.
Quod grave, decoquitur: quod leve vivit auis.
Et fodiens urnam,erumpit cinerarius ales;
Qua repsit, gaudet peruolitare plaga.
Cumquè iterum fatis premitur:volucrisquè senectus
Instat:se fatis,morte stupente,negat.
Tantùm animam reducem victuræ credit arenæ:
Ponit ubi emeritam pulverulentus avem.
Hinc iterum bombyx:iterum volucrisquè,cinisquè;
Totq;animæ redeunt,quot rediere neces.
Repentum Phœnix:quamquam vix illa volantum
Credita:& hæc nostris cognita luminibus.
Nunc age,non perimit:pulcram per funera vitam
Sors parit,& plenum munere vulnus habet.
Lædit avara, quibus se lædere posse,videtur.
Non hæc,quam metuis:sed metus ipse nocet.
Finge animum majorem opibus,mentemq;caducis
Eripe;dein forti manda etiam laqueum.

PO-

PODAGRA.

Inventum Naturæ peragrationes itinerum præcludere satagentis.

ELEGIA XXIII.

VT solet argenti lymphata licentia vivi
Diffluere hàc illàc, vincla neque ulla pati:
Agnovit Natura hominum mutabile semper,
Et varium, & nulla flexile ab arte genus.
Sistat ut ingenium: quisque & sua diligat arva:
Multa, sed incassum provida composuit.
Principiò Oceani terras distinxerat vndis:
Irrita; nam liquidum cymba ministrat iter.
Extulit usque ipsum montana cacumina cœlum;
Extulit: at cupidi transilvere pedes.
Dissecuit terras undoso fluminis alveo;
Nil agitur: celeres ponte jugantur aquæ.
Rupit iter sylvis, ac densis saltibus: inquè his
Absconditquè leas, & fera monstra tygres.
Sed tamen eversis peragrari cuncta periclis:
Nec minus è patrio cedere rure videt.
Quid faceret Natura? homines qua sisteret arte?
Mitia non possunt flectere: sæva placent.
Nodosæ exin principium sumpsere podagræ,
Turpe malum, lentum, cui medicina nocet.
Quod neque dictamo, nec odorifera panacea
Vincitur. invicti mors medicina mali est.
Inter prima reum longo religare cubili;
Abnuere & pedibus vel pedis ire viam.

Euul-

Eulsos hinc porrò artus, contractaquè membra,
Indecores gemitus quis memorare queat?
Nil tamen absistunt natæ torquere podagræ,
Indocilemquè viæ pellere ab orbe famem.
Fit mora morbus atrox: fit morbus ferrea compes:
Pestis plantarum plurima: lenta lues.
Grassatur monstrosa lues. pes turpe dehiscit,
Ac tumet in scopulos ceu salebrosus ager.
Ferreus in talos, atque in calcanea tortor,
Sed magis in digitos tarda podagra furit.
In nodum glomerat sine lege, pigrosquè tumores
Effert, ac vitio replet acuta suo.
Totas intereà noctes insomnia servat:
Occupat & nullus lumina mæsta sopor.
Ille per assiduas queritur sua vincula noctes;
Perq; etiam queritur vincula dura dies.
Tunc Natura parens juges miserata querelas,
Dissolvit monitos non peragrare pedes.
Ille sacramentum pedibus pietate solutis
Dixit: & infensas devovet usque vias.
Temporis ut valuit multum: pœnæ immemor omnis,
Mox interdictum stultus anhelat iter.
Limine vix abiit primo: refugum ecce podagra
Insilit: assequitur, suppliciòquè rapit.
Ceu (modicis si fas est uti) solicitus mus,
Captus noctivagæ felis ab insidiis
Hostis amarus agit fugitiuum in funera furem;
Et capto illudit perfidus ante necem.
Illius elusisse putans fera paruula fauces,
Hoste capit subitam dissimulante fugam.
Retrahitur tamen ecce fuga. dein copia rursus
Facta fugæ: & rursus copia dempta fugæ.
Non aliter recidiva lues se reddidit ægro:
Et pedibus morbum rettulit atra suum.

Tunc lacrymas,& iners inter suspiria clamor,
Clamor ab extremo corde petitus adest:
Ah rursus quæ me miserum dementia longa,
Quod mihi stat tanto funere, suasit iter?
O labor,ò lacrymæ,ò ætas addicta dolori.
Obsedit rursus quid pigra crura mali?
Non his damnabat lacrymis tauri ænea moles:
Ænea,quòd nullas audiit illa preces.
Non has,etsi avidus componere viva caducis
Corpora, Rex pœnas Lydius arripuit.
Quæ Brasili est scopulis gens nata,& robore duro,
Mitiùs humanam lancinat ore dapem.
O mihi depascat jecur immortale volucris.
Arboris invideo,Tantale,furta tuæ.
Non te,Pirithous,tales tenuere catenæ;
Si tales:judex impius ille fuit.
Non rota,non humeris librati pondera saxi
Me terrent; Danai nec scelus urna patris.
Tu me,tu cogis,dare nocte dieque querelas.
Impia,parce meos dilaniare pedes.
Spondeo,dum possim pedibus,tibi ritè sacrare,
Quo duco incuruum corpora fracta pedum.
Sume pedum:mihi redde pedes. si vana precamur;
Invisum pariter cum pede sume caput.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS

Terrarum orbem omnem emensus semel, atque iterum, & tertiò Victoria navi.

ELEGIA XXIV.

NOndum ventosæ vada cærula Tethyos alnus
Ruperat:Oceani non via facta maris.
Vela nec agnorant auræ oceanitides. insons
Frangebat solis cautibus unda minas.
Si quis iter lato trans Herculis ungue columnas
Fecerat:huic reduci laurea frontis erat.
Illum carminibus trivio cantare pöetæ;
Marmoreis illum fingere imaginibus.
Sed quà clauduntur mediis placida æquora terris,
Hoc erat,hoc ingens nauta putabat iter.
Nunc quem te memorem, Ligurũ fortissime, qui audes,
Oceani vetitas ter geminare vias?
Qui non dum domitos Zephyros ad vela vocare,
Ignotisquè audes fidere sideribus.
Fama,tace ductos extremo ex orbe triumphos:
Deq;triumphato marmore,Fama cane.
Atque procellosos cane garrula Doridis amnes,
Tertia victricis clara trophæa ratis.
Est locus Oceano in medio,domus Amphitritæ,
Dives opum,ac ductis parietis instar aquis.
Mœnia chrysolithis,rutilisquè flagrantia gemmis,
Si fers occasum,cætera solis habent.

Ia-

Ianua perpetuum bifori de poste smaragdum
  Vertit,& aurato in cardine dulce sonat.
Dicitur,hic Proteus olim simulacra per artem
  Ducere fatidicas edocuisse fores.
Amnibus extremas currentibus extudit oras:
  Amnibus atque urbes,& sua rura dedit.
Deprimit hinc,atq;hinc vastum mare, sustulit indè
  Et colles,& quæ ripa coronat aquas.
Dexter taurus erat,taurus non passus aratrum,
  Lacteus,& celeri devorat ungue thetin.
Ille exæquabat furtivę terga puellæ;
  Ista simul rubuit:palluit ista simul.
Flent oculi:ora gemunt:& dextera cornua prensat;
  Percutit ignotum sæpè sinistra Iovem.
Insuper his aries Athamantide clarus ab Helle,
  Clarus ab aurato vellere,læuus erat.
Ah læuus nimiùm vector.rapit unda sororem;
  Dum rapitur Phryxum territa lingua vocat.
Lingua vocat:sonus unus abest.tunc æquora priscum
  Hellespontiacis perdere nomen aquis.
Icarii casus alibi. hìc stetit aurea crines,
  Vincta manus scopulo flebilis Androméda.
Aspicis at contrà,paribus libratus in alis
  Perseus obiecta ut Gorgone,& ense furit.
Ut patet: ut subitò cernis lapidescere monstrum;
  Et stetit in scopulo,quæ vaga pestis erat.
Hìc quoque puppis erat,qua nil præstantius inter
  Elatas magni ponderis effigies.
Illa in beryllo ratis est educta virenti;
  Murmurat argenteo subdita lympha vado.
Fulgebant olli niveo ærea rostra columbo;
  Iste volat.volucri par agit aura ratem.
Fortè coloratas ducebant numina lanas,
  Numina cæruleo quæ latuere solo.

Tethys

Tethys ibi ante alias properabat pectine telas;
Mille illam natæ;cara corona, tegunt.
Dynamene hinc,hinc pulcra Lycorias: altera crines
Vincta pruinosos: altera fusa comas.
Xantoquè,& Doto,& quæ doctissima nandi
Cymothoe,& glaucis Delia luminibus.
Atque Asia,atque Thoe,Clio,Climene,atque Pherusa:
Nec procul hoc aberas,ò Galatea,choro.
Protho ades,atque ades Amphinome. tu tertia mater:
Illa maritales mox aditura faces.
Nec Nesęe indicta,nec alifera Orithyja:
Est soror Amphithoe: nec Liligea deest.
Est Opis: est Drimo: est pulcherrima Callianira:
Et quotquot viridi delituistis aqua.
Cumquè fatigatis demittunt vellera fusis:
Proteus ambiguo carmine fata canit.
Intereà virides quærunt dum plura puellæ:
Quærit Dynamene:quid velit illa ratis?
Hic tum iste ingemuit: finite hæc celare,sorores:
Nostraquè sub tacito vulnera corde premi.
Tunc magis exarsit cunctis audire voluptas.
Et negat: & cogunt. vi via facta loqui.
Nymphæ,Nereides Nymphæ,cognoscere vestros
Quandoquidem casus allicit,incipiam.
Viximus ignoti, multosquè ignota per annos
Ista ruinosi stagna fuere maris,
Indomitus volvebat adhuc ad litora fluctus;
Nullus & oceani solicitauit aquas.
Sed pax ista fuit: fuit & concordia; cunctas
Nascitur hesperius qui rate calcet aquas.
Quod fuit in fatis,venit irreparabile tempus:
Et ruet hæc Nerei sceptra vetusta Ligur.
Desijt,atque statim cumulo undarum occuluit se.
Desijt: at lacrymas dissolvere Deæ.

Et

Et ſuper his ululant dictis: nec vellera curant:
Verſantquè ante oculos patria furta ſuos.
Nymphæ honor Oceani, ne flete; etſi iſte marinas
Tollet opes: ſuperas advehet alter opes.
Si furaturus venit hiç veſtro æquore conchas:
Alter ab heſperio fert meliora ſolo.
Si Ligur eripiet: referet Saberus, eoas
Qui ditaturus, Nerea ſcindet, aquas.
Currite ducentes ea ſecula, currite ſoles.
Naſcere, & optatum, Phoſphore, pande diem.

LIBER TERTIVS CARMINVM

LYRICA.

Sanctissimæ Deiparæ Conceptio Immaculata.

ODE I.

DIva, terrarum moderantis orbem
Mater, insonti prece te fatigant
Virgines castæ, puerique læta
Fronde revincti,
Annue; & sacro tibi fumat ara
Ture, quod felix lacrymat Sabæis
Arbor; & multus tibi flagrat ignis
Divite templo.
Ante quàm terræ, & latices coirent:
Æquori leges fierent: & ante
Quàm deerrarent vitrei citatis
Cursibus amnes;
Non adhuc tergum sinuarat Ætna,
Ætna flammatos jaculans caminos:

An-

Ante Parnassum, Rhodopen, Olympum,
Pelion ante;
Nulla convexo trepidabat orbe
Stella: non dum nubila cęca: non dum
Aura versabat mare: non cadebant
Fulmina cęlo;
Diva tu Patris generata corde,
Omnibus ludens aderas. scatebant
Gurgites tecum: revoluta tecum
Unda fluebat.
Sistitur tellus: ades. imminentes
Colligunt nubes pluvias; adesquè,
Cum vices anni redeunt: & astra
Tempora ducunt.
Mille tu ducis choreas: & altos
Pectori mater stimulas amores;
Ante mater, quàm vitio parentum
Serpere cunctos
Visa sit labes. Steterat Tonanti,
Fulmine abiecto, genus indè nostrum
Ferre: non ullas licet ingravarent
Crimina terras.
Una de multis mihi grata: dixit
Totius latè fabricator orbis.
Una: quæ jam nunc mihi mater esto.
Currite soles.
Currite. ò quantum properare terris
Laudis ex illa video. parentum
Nesciet culpam: referetq; ferrea
Secula in aurum.
Illa venturas mihi præter omnes
Complacet Virgo. simul una præstat
Omnibus, quantùm præit inter ignes
Luna minores.

Ad Immortalitatem

Nihil conferre posse mortalia.

O D E I I.

TYrrhena frangat marmora ſcilicet
Ærata pinus,cui Libano cedrus
Deſcendat alto, hinc indè firmis
Conſtituens tabulata coſtis,
Auroquè puppis perlita amabili
Vel inter undas ardeat,& diem,
Nolente Phœbo,navigantem
Per medium ferat alta pontum.
Centaurus ex hac pectore aheneus
Elatus omni,cominus æquori
Oſtendit ictum,ſimpliceſquè
Nereidas prope terret arcu.
Ut alta pandat lintea Seribus
Depexa,ut oſtro ſigna micantia,
Pictaſquè lingulas jocoſis
Det placidùm fluitare ventis;
An proinde nullus mugiet Africus?
Nullus nivoſi verticis accola,
Impunè quem numquam per undas
Aſpiciunt equitare nautę?
Tunc omne litus fluctibus intonat,
Striduntq;arenæ,vortice funditus
Torto reuulſæ;contuenſquè
Æquora ſeditioſa paſtor
De montis alto vertice proximi,

Su-

Suſpirat. Eheu ne libeat, mare
Laxare rurſus: belluaſquè
Cærulei, viridiſquè campi
Miſcere in unum: multa timens gregi,
Precatur. Haud eſt in pretium pia
Tethys, rudi quæ ſic carinæ,
Ut madidæ meditatur auro.
Quid magna avorum nomina, quid juvat
Jactare fumo ſigna nitentia?
Regiq; paſtoriq; jam nunc
Dicta dies paribus propinquat.
Hac luce pulſis eſt palus, influit
Quò totus orbis. Portitor hìc ferus,
Hìc parva, manes quæ frequentes
Accipit, haud reditura cymba.
Ripam tyrannus poſtulat alteram:
Mileſq; clarus poſtulat. accipi
Vult dives: & qui exaggeratis
Tunc etiam titulis ſuperbit.
At iſta ridens Nauta, ferociter,
Audite, clamat, quo mea ſunt ſtatu.
Eſt parva puppis, luridoquè
Laxa viam latici miniſtrat.
Vos ſic adeſtis, quos nequeat bona
Portare claſſis. reddite ſarcinas
Malè ominatas litori: vix
Accipiet mala cymba nudos.
Tyranne vecors, pone tyrannidem
Faſtumquè, quo Diis par graderis; nihil
Sublime ſub terris. honorem,
Pone tamen diadema, frontis.
Et tu trophæum, ſignaquè ab hoſtibus
Direpta, miles, pone ferociam;
Pax alta nobis. Quid ſupremis

Oſcula das opibus tenaci
Manu prehenſis? perge, reglutina,
Æternus olim quas peperit labor,
Mox deſerendas. callidorum
O hominum ſine mente mentes.
Utcunq; denſas area capacior
Opes flagellat: quàmlibet influit
In arva Pactolus, tibiquè
Aurifero colit imbre campos;
Nil inferendum manibus ultimis:
Nil litus ultra. quò tot opes ſtruis;
Si mox inanem, pauperemquè
Traiiciet brevis alnus umbram?
Hæc ille inexorabilis accinit
Ingratus umbris, multa gementibus.
Hæc tu recognoſcens, feroces
Frange animos meliore cura.

Ad

Ad Iesum recens natum, plorantemquè.

ODE III.

QVid fles, delicium nobile Cælitùm,
Æquçvus Genitor, quæ cumulatiùs
Ornamenta reponet,
Aucto fœnore, fulminis
Dudum sepositi? lacrymulas, Puer,
Terge. is, ah quid adhuc in gemitus, amor,
Ardentisquè flabellum
Cordis? lacrymulas, Puer,
Quæso, terge. Mouent horrida parvulum
An præsepia? num non habiles casæ
Suetum sole rubentes
Cœli sidereas domos,
Stratas sub pedibus visere? ne time,
Volventur citiùs secula fulmine,
Et donaberis astris,
Calcabisquè volentium
Ostro cælicolùm conspicuus caput.
Necnon tu solio fultus eburaco,
Olim jura supernis,
Infernisquè feres plagis.
Ergò molliculæ desine neniæ.
Matrem, nonne vides? interimis tuam.
Jam, jam secula curas,
Tristesquè expedient vices.
Sed nil proficimus. lacryma adhuc lavit
Adstrictas trepido pollice fascias.

Quid fles,animula,quid fles?
O ſolatiolum poli.
Eheu fortè crucis dura tenellulos
Inſultant oculos funera. tam citò
Se ingeſſere puello
Sævæ mortis imagines!
O Iſaciadæ, lethiferum genus,
Horrendum furiis: iſta ne mollium
Membrorum laniare?
Hunc ſuccidere floſculum?
Quis tantum ſceleris,ſi ſit inhoſpitus
Buſiris,properet tangere? Quis nefas
Intentare Procuſtes
Auſit,quod vel Erinnyes
Tractarent pavidæ? turgidulos tamen
Tu compeſce oculos fletibus; eſt tuæ
Vindex ipſe ſalutis,
Conſtanti Genitor fide.
Infinita feres præmia, ſidera
Cum victor repetes: & Pater inclytæ
Reddet fulmina dextræ,
Et reddet radiis caput.
Exin,quos oriens,quoſquè cadens videt
Sol curvo populos poplite corruent,
Te votis venerari,
Cunctis Numen amabile.
Non panchaia tunc munera,non tuis
Aris deficiet victima. fletuum
Ergò deſine. vinces,
Vinces aſpera funerum.

Optimos boni moris magiſtros Tumulos.

ODE IV.

QVidquid antiquæ docuere Athenæ,
Et ſtrepens quidquid ſtoa: quidquid olim
Audiit,cui non,Platanus, ſeveri
Dicta Platonis;
Mutus hic ultro lapis,& ſub atro
Conditus pulvis capulo,ſilenti
Voce,ſed tantò magis audienda
Voce renarrat.
O,quibus pravos documenta mores
Nulla refrænant: malus & cupido
Fas,nefas,leges hominum,ac Deorum
Miſcet in unum;
Frangit hic veſtras ſcopulus procellas;
Faſtus,& multò altior altiori
Intumens cœlo,benè detumeſcit
Litore in iſto.
Obſeret Nili crepitus cadentis
Aurium ductus: fragor intonantis
Obſeret Patris; ſonat hæc ſepulchri
Muta loquacis
Vox adhuc;mordet quoquè pectus imum
Cura fatalis: neque mille curam
Leniunt campi hanc,neque fulgurantes
Murice veſtes.
In ſinu gaudens tacitus ſibi ipſe
Narrat infoſſas opulentus arcas;

Cum-

Cumquè rumpentes sua gratulatur
Horrea messes,
O,ait,felix ego: gaudiumquè
Proh meum! multos mihi multa in annos
Parta succurrunt. anime ò,triumpha,
Noster,& auris
Perditum præbens lacrymas protervis,
Gaudio frænum rape. jam voluptas
Influit pleno tumefacta fluctu:
Influit omnis
Copia inverso tibi læta cornu.
Explica frontem: bibe delicati
Spiritum risus,& in omne gaude
Temporis ævum.
Sed repentinus sonus impudentem
Strangulat risum: Miser,ante Phœbus
Quàm caput tollat redivivus undis,
Nocte sub ista
Expues confertam animam;& labore
Ista quæ tanto tibi parta condis,
Cui cadent? quem mox dominum sequentur
Horrea mille?
Non enim quicquam tibi luce cassus
Auferes,durum properans sub Orcum.
Cui cadent? quem mox dominum sequentur
Pondera mille
Auri,& argenti? tua te metalla
Rursus infossa admoneant,statutum
Esse fatorum,generata terra
Reddere terræ.

HE-

Herodi SS. Innocentium Cæde infami.

Στηλιτευτικὴ.

ODE V.

TYranne, noſtrum cernis adhuc diem?
Necdum dehiſcit cardinibus ſolum?
Ut te levetur orbis, ultro
Eumenides feret inquilinas.
O fabricator peſſime criminum,
Cometa, turbo, fax, furia, & chaos,
Adhuc minare? adhuc onuſtæ
Flagitiis animæ trahuntur?
Imò triumphas, qui ſceleri tua
Deeſſe credis fulmina. ſcilicet
Vecors triumpha; nam pharetræ
Nulla tibi ſupereſt ſagitta.
Sed tu videbis, vulneribus locus
Si reſtet ullus. fulmina ab æthere
Nondum parantur miſſa; necdum
Pár facinus macularat orbem.
Quot eſtis Orci nunc bonæ Erinnyes,
Adeſte: vobis diximus hoc caput.
Rotare nunc tempus flagellum, &
Turpem animam revocare Auerno.
Sed tu ſerenæ Calliope fidis
Regina, laurum pone, cupreſſina
Tegenda crines fronde; juſtas

Exe-

Exequimur lacrymas puellis.
Audin', parentum mixta ululatibus
Ut cuncta fervent? ah furor improbus,
Quid hi, quid ausi, queis vel ipsa
Parserit indocilis leæna?
Qualis tener, quem vis inamabilis
Agnum rapacis corripuit lupi,
Lac clamat ablatum, propinquis
Nescius ingemuisse faris.
Vulgus tenellum cum dolet ubera
Prærepta, vulnus gutture condidit.
Ructat cruentam, lacteamquè
Unà animam modicis labellis.
Resiste, mater. da querimonias
Portare ventis. si lacrymas jubet
Cædes; at ipsa causa cædis
Flere vetat faciem triumphi.
Mutasse cœlum morte quid indoles?
Emisse parco sidera sanguine?
Ut quisque, spectas, in curuli
Gestit ouans equitare stella?
Aut hi sagaci lilia pollice
Rosis maritant: aut manibus datis
Plaudunt choreas: labitur quà
Lactea virgineo fluento.
Hi sæpè habenas eripiunt senem
Tractare pigrum: dum sibi gestiunt
Parere & ursas, & videre
Plaustra jugo docili trahentes.
Ite, ite, vestros innocui choros
In omne seclum ducere: & ilia
Rumpatur hostis: cum perennes
Invidus aspiciet triumphos.

DIVVS

DIVVS FRANCISCVS XAVERIVS

Voluptate Divinorum penè obrutus exclamat

Sat eſt Domine, ſat eſt.

ODE VI.

SAt eſt: beamur. parcite,Superi: ſat eſt.
Ponite blanditiis
Nos obruentibus modum,
Modum expetitum. parcite ò tandem;eſtſatis:
Eſt ſatis. exanimor.
Abſiſte,tantum gaudium.
Tecum putabam munus, haud funus dari.
Arctior eſt animus;
Abſiſte,tantum gaudium.
Qualis camino exæſtuat trinacrio
Flamma moræ impatiens,
Spargitquè nubes nubibus.
Aut quale non ſe patitur exundans ſuis
Sedibus Oceanum,
Ultraquè litus intonat.
Ipſa hæc voluptas fluctuat præcordia:
Deliciiſquè vetat
Non perferendis, ſpiritum,
Latere vel imo grauiter excuſſum,trahi.
Viuere nullum igitur
Eſt fas. premor,Superi,premor.

Eheu

Eheu fatiscunt dissoluta pectora,
Et miser emorior,
Non ense cæsus barbaro:
Imbellis inter oppero solatia;
Ipsaquè Saberii
Est, heu, voluptas carnifex.
Miserere, qui Rex lacrymas nostras vides.
Funere quid gemino
Vis occidentem cernere?
Est morte pejor causa. finis me arguat
Tam mala degenerem?
Tantum parari dedecus
Non credidi. ergò ubi non erit metu locus:
Blanditiis jugulant
Si nos cruenta sidera?

Ne-

Nemini Spiritus ſupra Mortalitatem eſſe efferendos.

ODE VII.

PRocul profani: ter tremuit ſacra,
Videte, laurus. nunc propè Delius:
Nunc victimæ. ipſe jam Sacerdos
Pieridum (redit annus) æquum
Carmen repono: carmen, inutilis
Quod vulgus odit, ſpernere doctior,
Sermone quæ fruſtra ſeveræ
Socratico maduere chartæ.
Timete, Reges. æqua neceſſitas,
Idemq; cunctis non ſuperabile
Fatum: nec unus grex inermùm
Indocili petitur ſagitta.
Sunt veſtra vobis, ſunt quoq; vulnera
Majora Suetis. ſcilicet altiùs,
Strageſq; terroreſq; ab omni
Parte ferens; ferit alta fulmen.
Atqui timebat nil ſibi Balthaſar,
Timendus oſtro: non imitabile
Qui Numen excors inſolenti
Crediderat ſuperare faſtu.
Eat: pigendo flagitio ſacros
Crateras ultro polluat: & Deus,
Et fulmen, atque impunè nulli
Relligio violata tandem,
Sic negligatur. num quoq; quas notas
Adverſa ponit dextera mœnibus,

Hæ

Hæ negligantur? ille fœdis
Pellicibus malè ſeptus, omnes
Menſas vorabat; nec ſatis, improbam
Urgere in aluum fercula ferculis.
Inſultat aſtris, criminumquè
Gurges adhuc, amat uſq; ventrem,
Implere culpa. Regibus obvium eſt,
Bibiſſe gemma; cælituum ſcypho
Bibamus, inquit. ò repoſtos
Huc puer, huc cyathos corona,
Quos templa præbent marte ferociùs
Direpta noſtro. pocula protinus
* Da ſacra, quæ minus faventes
Hauſta novem ſuperos litabunt.
Ea vix: & omnis diriguit metu,
Scelusq; labris hæſit hiantibus.
Tyranne, pergis? num falerna
Prima ſtatim Superos litarunt?
Sed non litarunt. perlegis helvo,
Quæ te loquuntur funera? perlege,
Luenda quæ manent ſceleſtam
Supplicia ingluviem ſub orco,
Quo non eoo vellera vindicent
Bis merſa aheno: non lateri comes
Qui miles aſtat, turbidoq;
Turbidus invigilat ſopori.
Eheu propinquant funera. jam tuis
Diſtrictus enſis verticibus procul
Suſpendit ictum: jam fideli
Lance manus, Daniel Tyranno,
Te excuſſit, inquit. juſta potentium
Eſt qui gubernat fata potentior.
* Utcunq; tollatur, jugoq;
Alta petat: magis alta ſemper

Mon-

Montem ſub ictu ſidera habent ſuo.
Nunc frange temet:nunc regere inditum
Nefas medullis,crapulamquè
Ingluvio vome nunc profanam:
Unàque lucem,& ſpurcam animam vome.
Regnabit alter. temporis eſt parum,
Nihil,peractum eſt. una fædo
Nox ſuperat,neque tota Regi.
Qua nempe fulges, dextera purpuram
Diſcerpſit ictu non medicabili:
Diſcerpſit;exemplumquè regnis
Te horrificum properat futuris.

IN PHILIPPI IV.

Cognomento Magni Hispaniarum Regis obitu.

ODE VIII.

O Maximorum ter quoquè maxime
Philippe Regum, vivis, in ultimum
Victurus æuum; dura quàmvis
Parca dies secuit serenos.
Frustra irruerunt funera; vix tui
Parte occidisti. quod dederat dies,
Quod fors caduca, quod fugacis
Imperii levis aura, tandem
Hoc redditum est. sed, quæ generosior,
Majorquè pars, in vertice siderum
Fulget superstes; despicisquè hinc
Luminibus, tua Regna, terras,
Et quas eoo sidere phosphorus,
Solis propinqui signifer, aspicit:
Et aspicit quas hesperugo
Noctifero rediviuus astro.
Sed quod beata est sorte beatius,
Regina Diuùm, sidere cui caput
Seno bis ardet, subditamquè
Sub pedibus premit alma Phœben,
Te læta suavi lumine respicit:
Levansquè utroque in poplite supplicem,
Stirpem recognosco obsequentem

Ante

Ante alias mihi,dixit,unam.
Defenſor acer dum mihi militas,
Meamquè puram dicis originem:
Genus probaſti,ſpirituſquè
Auſtriadùm reparas avorum.
Ergò ſuperbum ſume locum, & tuis
Gaude triumphis,nunc quoquè regio
Donandus oſtro,quod rapacis
Non metuat ſibi furta ſortis.
Hìc tu tuorum nomina millium
Vides Nepotum,ſæcula longior
Quorum æquat ordo.cum cadente
Sceptra cadent tua magna Mundo.
Reddent Nepotes regna Nepotibus:
Sceptrumquè nectet dextera dexteræ;
Dum vertet axis:cæruläſquè
Dum pelagus glomerabit undas.
Nunc quem dediſti vivere duplici
Orbi imperantem:qui tua comparat
Veſtigia:& magnum ipſe magnus
Ore refert,animoquè Patrem,
Sinu fovetur nil minus:& dies
Latè affluentes ducere juſſimus.
Regnabit,otiumquè terris
Perpetuum faciet beatis.
In omne tempus,quæ fuit,eſt,erit
Amica nobis Auſtriacum genus
Cura:iſtud in primis amores
Solicitos habet uſque noſtros.

Indolem principijs sæpenumero suis diffidere.

ODE IX.

SÆpè primævo procul est ab ortu
Sylva, quæ miti spatiatur agro:
Sæpè felices alit una fruges
Barbara tellus.
Creditur stirpi malè. luctuosum
Quem diem Vesper videt, hunc serenum
Lucifer primùm properare curru
Sospite vidit.
Hæ vices rerum, quibus astra, dantquè
Ipsa vitales elementa cursus.
Pauca respondent capiti. Est, benigna
Ut pater olim
Ingeni vena niteat, foriquè
Multus attritas reparet locato
Jurgio causas; modò crescit olli
Stipite stipes
Crassior natus. Pater arma doctus,
Plura ferali meruit Gradivo;
Filius vecors amat, et nepotem
Turpiter offert.
Arma Pelidæ quoties inertem
Patroclum condunt? quoties Achillem
Palla? concordant mala sic frequenter
Pondera rebus.
Viuet exacto Melithonis ævo,
Una de multis mihi non tacenda,

Ma-

Mater. ò felix,& in omne mater
Nobilis ævum.
Illa non acris studiosa pugnæ
Temnere t mortes,& acuta belli:
Arcubus nunquam sonuere onusta
Terga feroci.
Docta sed læves agitare fusos,
Advena vellus madidum veneno
Carpere,ignotas tereti daturum
Cuspide formas.
Nate,sed dixit,morere. i serenus,
Quò vocat fortes polus,i propinqua
Astra visurus: rabiem,& cruentum
Falle tyrannum.
Ne mihi porrò trepida; peractum est
Parte jam quinta decus. en triumphi,en
Palmæ. ego & currus video,daturos
Sidera currus.
Redde, quam lucem dedimus: repone
Gratiam. certè tygris,aut leæna
Non gero pectus; meliore malo
Funere vivas.
Perge sic,sic perge. labor propinquam
Aspicit metam. ah,video natantes
Luminum flammas: video. beamur;
Fata propinquant.
O benè,ò nulli genitrix secunda.
Mortuo,nunc me fateor parentem:
Nunc puto natum peperisse. matri
Plaudite matres.

In malum Otium.

ODE X.

CAvete, fortes. frangitur Otio
Neglecta Virtus, frangitur. hostium
Utcumque prostrarit catervas;
Segnitie superatur una.
Non vana Vates nunciat. Annibal
Sententiarum testis, acinace
Nostro haud subactus, haud feroci
Milite, romuleisquè signis.
Ille inter alpes, & juga montium
Latè timendorum insuperabilis
Perrupit ipsas, terminorum
Quas voluit Deus esse leges;
Bellumquè portans per nivium hospitas
Securus arces (quid patientia
Nón audeat victrix malorum?)
Italiam tremefecit hasta.
Quin regna semper maxima Romuli,
Fluente Roma deliciis, truci
Hausit duello. tunc maritæ
Ah quoties, timidiquè Nati
Ad sæva belli nomina punici
Pulsantur albis corda pavoribus:
Heu carus, imbellisquè conjux
Ne Libycum per acuta belli
Ducem lacessat, qui veluti Leo
Et ipse pœnus, devia per juga,
Camposve apertos multùm acuto

Den-

Dente feras lacerat minores.
Mox ad Deorum ſupplice confluunt
Delubra vitta:turibus,& prece
Deos morantes,plurimoquè
Solicitant pia fata voto:
Excedat oris Afer ab ultimis
Prædo Latinis:aut latia manu,
Quas odit,has pulſet peremptus
Sanguineo gravis ore terras.
Qui ſponte ceſſit litore patrio
Crudelis,idem ſemper inhoſpitos
Pererret agros: fata donec
Corripiant caput execrandum.
Eheu puellis multa timentibus,
Parviſquè gnatis,quos ferus,& nocens,
Et multus Annibal citatis
Funeribus cumulat parentum.
Non has querelas Juppiter audiit:
Non quæ ſonantem concutit Ægida:
Non vis Gradivi fulminantis,
Aut lacera Dea læta palla.
Illum caduco fulmine ſiſteret
Non ipſe Magnus. Pallas ab Ægide
Speraret incaſſum:irritumquè
Martis opus foret,aut ſororis:
Ut qui periclo major ab aſpero
Vires reſumit ſtratus,& in ſuam
Laudem triumphat:gloriamquè
Scit rigidi geminam laboris.
Audit querelas Diva tamen,Cypri
Potens: Cupido filius audiit:
Audit Voluptas:audierunt
Seplaſiæ,nova caſtra,coſti.
Quod miles,& quod Roma vel ultimæ

Timenda Thulæ non potuit, poteſt
Campana pellex, & libido
Fulmineos imitata jactus.
Pœnus rebellis concidit otio,
Qui non labori fractus: & hac tamen
Stratus ſagitta, ſpirituſquè
Depoſuit, tumidamquè criſtam.

DIO-

DIOGENES

Palatiorum luxum in dolio detestatur.

ODE XI.

EHeu quid impudentiùs sanctum æthera
Turribus immodicis
Vexamus? et numquam Deos,
Deos remissos perfrui carchesiis
Nectaris, à phrygia
Rapti manu: nec liberum
Metu, irruentes altiùs fessum Iovem
Degere nos patimur,
Quin bella formidet nova?
En quot diebus terrigenùm iniquus furor,
Scindere compositas
Metas, redit & audacia
Mortalibus. nunc ardua laquearium
Vertice sideribus
Minantur; est nec unius
Deus hoc Olympi, vel fugaci vertice
Othryos aërei
Jugo ferire sidera.
Nefas. & ipsis manibus, stygio & Iovi
Nitimur infodere
Diem propinquum: ubi ultimum
Petit redemptor molibus terræ sinum.
Proh labor irritus! ut
Tantilla moles corporis
Tegatur: urbis in modum lares struunt,

Hæ

Hæ ne domus pluvias
Arcere natæ,& temporum
Defendere aut niveum gelu,aut nimium diem?
O pudor. ò hominum
Præpoſterum ſemper genus.
Sed ò Ly æi tectum,& infantis meri
Faſcia; vite ſatus
Cum Bacchus auras concipit:
Et ſectus ex parente nimia pondere
Vagit, & illacrymat
Sub duplici tergo ilicis.
Domus ſequaces,laudis authores meæ,
Vivite dedecori
Non invidendis poſtibus.
Domo niteſcit alter. hæc domus nitet
Me mea, ſolicitam
Faſtidiente copiam.

Fa-

Famam periculo maximè commendari.

ODE XII.

O Inclytorum tessera nominum,
Cos atque famæ dura, Periculum.
Valete segnes; tanta fractis
Non equidem memoro columbis.
Matura virtus difficili loco
Venit, feroci læta negotio.
Virum timebo, qui irretorto
Lumine respiciat timores.
Ille, ille victor, qui prope vincitur,
Stratusquè sternit. nobilioribus
Romanus haud unquam triumphis
Templa Jovis decoravit: ut cum
Pœni insolentis fata retexuit,
Egitquè in ipsos exitium duces.
Nempe hoc fuit vicisse, & astris
Magnanimum inseruisse nomen.
Nil Dardanus, nil Laomedontia
Manu Deorum condita pergama
Sperant malorum; si propinquo
Argolicus refugit periclo.
Hoc, hoc agendum est: hic Danaûs labor,
Opusquè dignum fortibus: hæc tibi
Laus patribus relicta (Ulysses
Principibus referebat audax)
Argiua pubes. vos latebras equi
Sanguis Deorum quippe timebitis?

Genus negate: aut concolorem
Ferte animum generi superbo.
Ergò retardat fama periculi,
Non excitabit? dux nemorum leo
Tela inter,& densas sagittas
Plus animos acuit feroces.
Vos ite,& undas abiete reflua
Fastidiosi impellite nominis.
Ite, oscula exoptata natis,
Exuvias velut hoste raptas,
Referre ouantes scilicet. ò pudor
Ingens Achæi,sed neque Achaico
Cruore creti. cerva vos, aut
Lacte lepus trepidante pavit.
Quid rumor,& quid fama nepotibus
Impellat aures garrula! degener
Non arguetur, qui minorem
Mente Ithacam moderatur æqua.
Solus cavernam molis,& ostium
Vobis timendum mollibus irruo.
Ferar per hostes solus; uno
Fama mihi paritur Periclo.

D.

D. FRANCISCVS XAVERIVS

Oblatam in somnis speciem Æthiopis humero graviter insidentis, tanquam certissimam laborum præsentionem sibi gratulatur.

ODE XIII.

SOmnium ah præceps, celere occidenti
Vertice ab summo geminum ruinæ,
Quò leve? & quò te rapuit sequestri
Luminis hora?
Si simul tecum mihi desijsset
Viuere! en isto, en alio resiste
Temporis puncto, melius videri:
Donec in ævum
Insequens pictus remeabit axis:
Donec impellent vada salsa venti:
Nomen & ponto positura donec
Flumina current.
Nox erat toto patefacta cœlo:
Omnis umbrarum locus. hinc pluebat,
Indè mellito madidis sopore
Oblivia curis.
Ipse dum vili latebra quietem
Perbrevem carpo, manifesta ludit:
Ludit, an præsaga boni futurum
Monstrat imago?
Siue quem vultu Mareotis atro

Nu-

Nutrit: (hæc imbri colitur sereno)
Seu Libys, qualem propiore tingit
Lampade Phœbus:
Comprimit nostros onerosus armos,
Grande ceu rupis latus; ipse plantis
Vix mihi consto, referoquè me vix
Pondere fractus.
Ille pœnarum mihi non malignum
Nunciat certe caput: ille nostris
Accinit votis. age, jam docemur
Vulnera, pestes.
Me manent parvi Nabathea solis
Regna: me nostris homines sueti
Carnibus, quorum cyathos cruoris
Spuma coronat.
Rursus in magnum Phalaris laborem,
Et Nero rursus venit, aut Nerone
Plus Nero si quis. fauet ominatis
Vultibus æther.
Non satis si nos recoquant aheno:
Non satis si nos tumulent profundo.
Belluas, ignem, gladios, seuera
Omnia præstent,
Non satis. nostro bona mors amori
Una multarum placet: illa mortis
Docta quæ cunctæ genus, est & omnis
Nescia mortis.

Ad Parthenopen, frequentibus infortuniis diù agitatam, ex adventu recens renunciati Præsulis Innici Cardinalis Caraccioli.

Παρακλητική.

ODE XIV.

SIren, triumpha. Tu fluvialium
Inops aquarum, sed tamen inclytis
Sebethus astris inferendus,
Tu quoquè lætitiis triumpha
Intaminatis. jam melior Deus
Consentit imum tollere verticem
Tellure, sordibusquè fædam
Purpurei satura veneni
Mutare vestem. sidus amabile
Ab Tibris unda nascitur, ac tuis
Ostendit, importatquè terris
Lumen inocciduum: triumpha.
Adhuc rebellat lacryma? adhuc dolor
Hæret medullis? desine tristium
Tandem querelarum. reponet,
Ne dubita, ut fuit, affluentes
Annos, & auctos fœnore, jam tuus,
Jam sospitalis Juppiter. in sinum
En versat urnam, candidosquè
Purpureus jubet ire soles.
Ipse, ipse, quæ olim mœnia, proh dolor!
Serò litata corripuit lue

Me-

Megæra, vastatrix, & urbem
Urbe sub occidua sepultam
Raris reliquit flere nepotibus;
Jubet reponi. tolle oculos, vices
Sic nostra mutant: nec perenni
Sidera nos quatiunt flagello,
Non semper actor cærula nubium
Tumultuosis subruit Africus
Auris: nec una pertinaci
Usque sedet gravis hora vultu.
Pellit procellam pulcra serenitas,
Fletumquè risus. tu genialibus,
Mox affuturis, explicatos
Pande sinus hilaris diebus.
Si vultuosus cæca Diespiter
Ab aure librans fulmina, nubium
Olim hospitas sacro igne turres
Turribus impositas reclinat,
Pinnasquè plano sternit in æquore:
Tu tunc sereni conscia præpetis,
Ad læta te para, & propinqui
Sume animos memores triumphi.
Ergò supinas cælitibus manus
Fer grata Siren, & prece plurima,
Et ture concrepante flammis
Supplicibus venerare Divos.
I, conde festis compita frondibus:
I, sparge lætis aëra vocibus:
Gesti, triumpha; sed caveto,
Lætitiæ tacuisse venam,
Heroa Diuùm sanguine conditum,
Cæloquè lapsum, quò patriam levet
Ferocientium malorum
Plus nimiò petulante turba.

AMI-

AMICO

Vt patria relicta det se in viam.

ODE XV.

QVid cautus nimiùm, scindere dum vocat
Neptuni fluvios aura favonii:
Strato dum pelagus torpet in æquore,
Ac pisces superis assiliunt vadis;
Quid cautus nimiùm pandere lintea:
Et parvæ dubitas credere te rati?
Discessere metus:atque Aquilonibus
Præceps naufragiis detonuit furor.
Iam frontem explicuit Iuppiter:expulit
Nubes luctificas æthra serenior.
Tu cunctaris adhuc? & trepidas viæ
Solers innocuæ te[illegible]are?quis pudor?
Segne en in patria consenuit caput.
Non sic herculei gloria nominis
Altis se inservit nubibus inclyta.
Thebarum exilio natus Agenore
Ductoris rapuit grandia nomina.
Æquavit superis fama perennior,
Solem qui patrium respiciens suos
Vidit post humeros: Oceanitidis
Transmisit Thetidos regna natantia:
Omne & luminibus præteriit solum.
Non uno assiduus torpet in angulo
Phæbus: nec populos Hesperiæ premit

Semper,nec Libyæ. Lustrat Iberiam:
Lustratquè Æthiopas, Persida, Bosphorum,
Et regnata hyemi tesqua Aquilonia.
Torpes tu mihi iners, conscius unius
Ripç:unius & ò conscie vir casæ.
Torpori video sideris arctici
Te captum simili. ut cuncta perambulent:
Lentus tu patriam mordicus obsides.

In

In horam nimio æstu feruentem.

ODE XVI.

EHeu caminis qui stygiis rogus
Erupit ad nos? sedibus an suis
Reuulsa nuper Ætna, cęlo
Se tulit imperiosa nostro?
Ubi moramur? quæ plaga? quas graues
Spiramus auras? Maurus, an Æthiops?
An qui perustus sole forti
Stagna bibit calefacta Nili?
O quis nivali in vertice Caucasi
Me sistat, & me protegat arbore
Multa calentem. ò Alpium quis
Det colere indociles recessus;
Ubi nivosis fœta Aquilonibus,
Utcumque latret vis Canis ignea,
Hyems perennat: arduisquè
Verticibus stabulant pruinæ.
Ripas coactis flumina faucibus
Liquere multo pulvere conditas.
Liquere: murmuransquè culpat
Lympha diem nimiùm furentem.
Ergò recurrunt ignea secula,
Notiquè currus. ah, ne iterum Pater
Gnato det imprudens regendas
Vel sibi difficiles habenas.
Ille ausum inausum non pede dextero
Aggressus, altos poscit equos puer,

Currusquè patris, & periclo
Ipse suo, miserum, superbit.

Iamquè insuetam corripiens viam,
Exultat excors, per sola siderum
Curru vagari, subditaquè
Luce graves renovare terras.

Sed gaudiorum desinit ocius:
Quadriga cursu ut ferbuit arduo.
Tunc luce quàm vis æstuanti
Ossa timor gelidus cucurrit.

Quippe ut potiti vertice, in æquora
Se aperta fundunt quadriiuges: premi
Nec se suo cernunt magistro;
Quà juvat, insiliunt: trahuntquè,

Quassantquè currum. fit fragor: undique
Ramenta fractis dissiliunt rotis;
At ille magna vi referre
Tentat equos: sed inane tentat,

Ceditquè tandem lora micantia.
Tum matris urgens nomina nesciæ,
Sodaliumquè, Quis cupido
Me, inquit, in hanc pepulit ruinam?

At ò paterni parcite, parcite,
Ferre insolentem quadrijuges viæ.
Est Phębus hìc quoque. heus manere:
Reddite vel puerum parenti.

Ó quis deorum det mihi nunc malè
Optata patri fręna relinquere?
Currum quis istum, qui procella
In media veluti fatiscens

Iactatur alnus? monstra rubentia
Quæ se ista nostris vultibus offerunt?
Ah hìc pericla, belluęquè:
Sunt etiam sua monstra cælo.

Iam

Iam totus Orbis conflagrat undique
Calore nostro. jam vada contrahit
Marina tethys: territæquè
Nereides latitant sub antris.
Et summa fumant culmina montium:
Et ima fumant æquora: proh dolor!
Diem supremum protulisse
Occiduus Phäethon feretur.

ZENO PHILOSOPHVS

Cum merces imminente naufragio in mare deiicit, gratulatur sibi hanc ipsam rerum jacturam.

ODE XVII.

ZEno, beatis net tibi stamine
Benè ominato Sors superùm tua
Mens est labos, ò quàm pudendis
Illa diu data præda curis.
Latrant procellæ nil miserantibus
Æquor reuulsum fluctibus intonat.
Mergetur ecce mox carina,
Mersa opibus prius ipsa nostris.
Hoc est: monemur. quisquis es, audio,
Seu tu Deorum millia fulminum
Timenda torques: contumacis
Seu pelagi cumulas timores.
Nos astra sperant. ite pericula
Opes salutis. vos oneris mali
Culpat fatigata, ingemitquè
Non temerè, peritura pinus.
Viden? lèvamur. deposito est salus
Venalis auro: & mercibus æquora
Frænantur. exacta est procella
Naufragio pretiosiore.
Fortuna, amasti. me, fateor, beas
Jnvita. grates non tibi debitas

Li-

Libens repono; ſed memento
Sæpiùs hac furere in ſagitta.
Salubriori nos jaculo petis,
Quàm ſauciantur divite vulnere
Montes, Iovis quos ſumptuoſa
Fulmineis ferit ira gemmis.
Nunc verte nigros hoc caput ad Deos:
Deos per imos ad ſuperos dabo
Jter. ratis deinde nullus
Aurivomo impediar periclo.
Solvam per æquor carbaſa Creticum:
Tutus reviſam litora Gadium.
Non ampliùs timebo; ſperet
Nil pelagum à vacua carina.
Inauſpicatò merce quid indoles,
Vector, ſubacta? deſine ineptię:
Et lacrymas injurioſas,
Mercibus inferias, referre.
Non perdidiſti, quod malè poſſides.
Cauſas malorum ſi tamen aureas
Vecors amabis: pectoriſquè
Pernicies opulentiores?
Tibi ipſe reſtas. Eſt animus ſuper
Non indecorus. Sufficiet mihi
Mens major ingenti vel orbe. hoc
Fluctibus erudior magiſtris.
Vulgus profanum ſacra ea conſpuit.
Nec, ſi peroret cymba valentiùs
Carontis atrox, corda ſuadet
Ruſtica, nec Phlegethontis unda,
Lacuſquè Sacri: grandia funera,
Queis decolorem ponderis ænei
Nummum, licet combuſta, delent,
Ture Arabum, Æthiopumq; ſylva.

Hæc arma Achillis terga reflagitant.
Tanto labat ſub pondere, qui pede
Vix preſſit agrum. ad me remitte; haud
Iſta petunt animo minorem.
Nec Zeno ubique: hunc non animum ferunt
Quæcunquè Terræ. Secla, beatiùs
Decurreretis; iſta major
Copia ſi foret audientum.

For-

Fortuna ut luna mutatur.

ODE XVIII.

CErnis,ut Phæbe properat triformis,
Lacteum ſternens iter?ut ſerena
Fronte nocturnum relegit citatis
Curſibus axem?
Perfidùm lucet;neque ſemper una
Concolor flamma radiat tenaci:
Et novos miſcet temerè peractis
Orbibus orbes.
Iam per obliquum ſecat inſolentem
Tramitem legis, dubioquè curru
It,redit.ſeptem niveas Trionum
Vertit ad auras.
Vertit adverſos modò læta ad Afros,
Quos die Frater propiore torret:
Tingit & vultus face non amica
Phæbus Apollo.
Non ſecus centum vaga Sors doloſas
Jnduit formas,variatquè centum.
Nunc tibi creſcit:tibi nunc eadem
Parte recreſcit.
Perfidùm ridet; fuge fœneratos
Cautus amplexus. redimunt dolores
Mille:quos riſus dedit hora,longus
Excipit angor.
Eſt tibi Crœſum ſuperantis auri
Improbus fulvi modus;eſt falerni

Ri-

Ripa Lenæo nimiùm benigna;
Eſt pecorum vis.
Hora, quæ gignit, tumulat cadentem,
Quæ comes veris roſa. Quem tyrannum
Sol recens, ludi moriens magiſtrum
Aſpicit idem.

CRA-

CRATES THEBANVS Auro in mare projecto jam exoneratus,

ODE XIX.

POrta quid hoc, an ludor eburnea?
Quò mentis æstu, quò rapior mei
Plenus? volucri tollor ala,
Æthera quà quatio insolentem.
Fugere terræ. progredior levis
Æquatus astris: nubis, & imbrium
Major timendorum tumultu,
Despicio impavidus procellas.
Opes profundo vos benè conditæ,
Hoc præstitistis. plaudite; compede
En ut levamur: en ut imas
Cernimur exuperare terras.
Sedes Deorum sidera tangimus.
Quantum hìc sereni est! quàm regio hæc nihil
Debet procellis! debet atræ
Quàm nihil obsequiosa sorti,
Insanienti: vertere seu solet,
Iniqua morem, funditus, aurea
Quæ ad astra vexit: seu quæ ad ima,
Restituens iterare ludum.
Agnosco olympum. Sunt animi hæc loca
Nihil timentis. concolor est mihi,
Quem jacta non gravant talenta,
Gratia liberioris æthræ.
Orbem ecce totum sub pedibus premo.
Manent sub ictu celsaquè montium,

Vt ima vallium: remotos
Et mare frustra agitans tumores.
Hàc pallido fons Ister in alveo:
Illac Boreus præcipitat Tygris:
Hìc, Nile, recreas calentes
Imbribus agricolas serenis.
Apparet Indus: frigidus hinc Scytha:
Contra ore gestat qui calido diem
Nimis propinquum: hàc vesper effert
Amphitrioniadas columnas.
Oh, quos tumultus! funera tristior
Quæ Persa deflet! Medus, & incola
Primus diei, prosequente
Marte Scythas? Bibe: habes cruores
Multum expetitos. O sate Caucaso,
O execrandum manibus inferis
Caput, parentibus cometa
Flebilis, exitiumquè matrum.
(Regina nati sic Tomyris sibi
Gratatur ultum barbara sanguinem,
Cyro perempto non virili
Dextera, & auspiciis pudendis.)
Nunc pelle venis prærabidam sitim:
Malo beare; atque hìc quoque prosperam
Agnosce fortunam, relapsum
Uertere quæ solium cruenta
Indulsit urna. barbare, barbare,
Vertere tandem numen ad ultimas
Pœnas Dii. Dii contulere
Supplicium in documenta Cyri.
Sic te volebam. fœmina quid potest,
Nunc disce. disce & quid dolor integer
Prolis potest ereptæ; & orbas,
Cyre, cave furere in parentes.

Regina nunc ſum. nunc Tomyris Deos
Æquaſſe dicor. quàm invideo tuis,
O natus, umbris! non dolebo
His benè te inferiis piatum.
Quem palluerunt Perſæ, hyperiona
Fruſtra colentes: imperium cui
Plaudebat orbis: cui cylindro
Fors aderat metuente volui:
Non fletus erra, per ſtygios lacus,
Carens ſepulcro Cyrus: in hoſpitam
Vagare ripam, & uſque plora
Victima fœminei furoris.

DIVITEM OMNIA,

Pauperem nihil cupere.

ODE XX.

BEatus ille, rure qui dives suo
Majoribus nil invidet.
Nil invidet, quæ frugibus stant, horreis,
Caducus hæres Attali;
Cui non falernus, unda sed quæ fluminis,
Potus inemptos comparat;
Nec ei Sicanæ condiunt mensas dapes:
Nec quæ obligatæ sunt foro.
Sed parcus vvis, aut amaris intubis
Vilem remolitur famem.
Cum verò vesper gestit, expulso die,
Gregemquè cogit siderum;
Ad mulctra lacte dives exiguo pecus
Parva ex cohorte nominat.
Intonsa ad hæc sub ilice, aut fago diem
Frangit sopore libero,
Nec evocato Amphionis testudine,
Sed alitum concentibus.
Timoribus nil debet, aut curis, benè
Auro additis custodibus.
Ad sidera infinitus usque non jacit
Spes insolentes contrahi.
Pellæa proles qualis, immensus cui
Angustus orbis: nec satis

In-

Interminatos poſſidere limites,
Vtroque Sole cognitos,
Tumultuoſo cognitos & flamine
Cauri,atque feruentis noti.
Olli fluebat paupere & Tagus vado,
Vado redundans aureo;
Nec margarita, quæ recondit India,
Toruum domant cupidinem.
Pu gnaſſe bella, ſpica quanta eſt Gargaris,
Fertur rudis felicitas:
Rudiſquè,tantas perdidiſſe copias,
Quas apparabat neſcius
Darius,alto qualis eſt à vertice
Caſus relabentis rotæ.

AD SOCIOS

Pro Indica Expeditione.

Παραινετικὴ

ODE XXI

QVid patrio torpere juvat nos litore,& agro,
Quo repsimus,senescere?
Findere Neptunum ratibus nunc tempus,Amici
Altos bibentes spiritus.
Quò Sinæ, atque auro ditissima Cochinchina,
Quò Tartarorum litora:
Et Corai, & Coree , cautesquè Moluchidis oræ,
Magnive sceptra Mogoli:
Quovè apprima ferox,& inhospita terra carinis,
Iapon, referta portubus:
Brasiliusquè orbis, Malavaridis oraquè ripę,
Stratusquè pontus insulis:
Huc, illuc, & nos tandem quòcunque vocat res,
Vicisse solem cursibus.
Quid moror? aut quæ cura vetat? discedite terrę:
Lar & recede patrius.
Tuquè ò votorum meritò pars maxima, tellus,
Absiste tellus Itala.
Ignavos odi soles. sedet,ire per orbes,
Die calentes barbaro:
Cernere luctantes Zephyros,& prælia aquarum,
Bacchata vasto gurgite.

Æquo-

Æquoreos, ò vos ſaxoſi, mittite, montes,
Viſura caſus robora.
Fallimur, an vivis ultro ſe vultibus offert
Concors imago? plaudite.
En ratis exoptata. ſequor, ſequor. ò mea flatis
Euri tepentes carbaſa?
Flate; piis etenim votis celer annuit axis;
Ac me volentem ducite.
Ducite, ubi pelago Ganges ruit arva ſonante,
Cunaſquè ſolis alluit;
Goaquè dives opum pertingis ſidera, Divo
Longè ſuperbior tuo.
Audimur; celeri refugit par terra ſagittæ,
Siduntquè montium juga.
En Libys, en tellus nimiùm vicina diei:
Non tarda ubi gens arcubus.
O Atla, ut tremulis celſum caput inſeris aſtris!
Tu quanta vatum fabula!
Currite curvantes mea lintea, currite, venti.
Hoc illud eſt vaſtum mare.
Salvete Oceani reſonantia flumina, curis
Mihi expetita millibus:
Salvete; incolumiſquè, precor, ſervate tyranno
Severiori funera.
Pergite jam Zephyri. hìc ſueverunt currere cetæ,
Cetæ inſulis æqualia.
Oh, ubi qui ſeptem ardebant poſt terga Triones?
Tandem, Boota, mergeris.
Nunc alii ſurgunt ignes, alia omina ſurgunt.
Quid illud? ah aſtrum crucis.
Sic benè, ſic patuit. forſan crudelis Iapon
Id funeris mì deſtinat.
Omni nunc anima ſinuavit lintea corus:
Pontumquè puppis devorat.

Navita, coge sinus; ripæ succedis, & ipsam
Radis', vide, Iaponiam.
Intereà ut madeo lacrymis gavisus obortis!
Date osculari litora,
Litora Sabero lætissima: regna ubi princeps
Detraxit ista Tartaro.
Hæc eadem, nec vana fides, est mille meorum
Tellus refusa sanguine.
Dicite, ubi abscissum posuit caput? undè cruentus
Ad alta movit sidera?
Tu Saberiade, tu bis concessus ab astris,
Cui fata conduntur nova,
Ingens Ausoniæ decus, atque ingens decus idem
Lojolidarum copiis,
Et, si non iram malè præcipitasset Japon,
Visquè affuisset tardior,
Tu Marcellus eras. libo nunc oscula terris,
Hoc purpuratis sanguine.
Vos me, consurgit quà regia, sistite, turris,
Auro superba plurimo.
Namque ego sic videor perstringere voce Tyrannum:
O Barbarorum maxime,
Sideribus certare putas æquum? an tibi tantas
Condonat unda spiritus,
Qua circumfusus toto divelleris orbe?
Pontiquè fidis aggere?
Scilicet à rutilo properant quæ fulmina cælo,
Illa haud vehuntur puppibus.
En ego Divorum interpres tibi mittor ab axe,
Dicturus hæc novissima:
Quin agis, atque manu devotas prorvis aras,
Turpi calentes sanguine?
Quid Sacam indecorem, quid notæ fraudis Amidam
Turis vaporat lacryma?

Tu

Tu Camis, & fotoquos, plebejaquè numina ponto !
Disseminandos impera.
Ni facis: actutum Phlegethontis ad ima traheris,
Et fumo, & igne turbida;
Mille ubi pœnarumquè modi, exitiumquè perenne,
Semperquè noctifer dies.
Nunc fure, nunc totum te concipe. Barbare, sic stat:
Nec me moves vestigio.
Duc age, duc in nos, quotquot tibi suggeris ipse
Cognata Erinnys funera..
Est hic, est animus nulla versatilis arte,
Spernax tuorum funerum.
Vis caput abscindi ferro? cruce ne ante levari?
Cessas? ut adsto promptior,
Seu libet inversum scrobibus demittere corpus:
Rotare seu mavis aqua.
Duc circum flammis paulatim urentibus ignes,
Vivus, vidensquè ut conflagrem.
Perpetuoquè jube descendere flumina jactu,
Clausura vivos spiritus.
Seu fac arundinibus fixis stet densa per ungues
Sylva: aut, quod unus auferis,
Serrata se nsim modò frangat arundine fauces,
Æquante noxa sæculum..
Exitium fonti refluet. dabis, improbe, pœnas:
Ego alta scando sidera.
Horrificasquè dabis pœnas. nunc vive: neq; adsit
Major tibi te carnifex.

POMPEIUS

Sub lictoris ictu.

ODE XXII.

Est litus ingens, quà trahit tellus sinum,
Diverberatum fluctibus:
Et belluarum nuntiant vestigia,
Immanis ut degat plaga.
Nil arboris, nil mitis ingenii solo,
Solo renidet barbaro.
Hìc ille visus imperator perfuga,
Terno triumpho nobilis:
Visus sub ictu nil verentis dexteræ,
Movere quidquid impium.
Et jam propinquat carnifex tantum caput,
Cæsurus alto vulnere.
Tunc ille, qui non funus, ut genus dolet
Abominandi funeris,
Ut vidit: ut, petito ab imis spiritu,
Hæc retulit præcordiis:
Resiste Victor. Magnus hanc precor moram;
Dum supplicem me conquerar:
Jam jam sueto do caput ludibrio,
Maturus ex illo neci:
Humàna cum nil fata, nil metuens Deos,
Jactabar insolentiùs.
Fortuna, sic beamur: eò demum tua
Tendunt ruinæ culmina.

Cui-

Cuicumque rident principum fastigia,
Me cernat, & te, carnifex.
Ille hæc gementi murmurabat pectore
Fastidiosus ætheris.
Contra satelles improbum telum rotans,
Caput revellit gutture.
Cadensquè talem contulit molem impetus,
Tonante ripa casibus:
Annosa qualis alnus œtæo in jugo,
Pugnata nequicquam notis:
Si pastor imo ex stipite infestum nemus,
Molem recidit arboris;
Ruitque sub ictu, & asperum trahit sonum,
Æquans solo fastigia.

Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?

Psalm. 72.

Epicureus confutatus.

ODE XXIII.

AN sors? an ratio? Deus, an fortuna gubernat
  Intemperans mortalia?
Aut, si quis cælo degit Deus, is ne per alta
  Cæli ambulans palatia,
Secum habitat, plaudensquè sibi longa otia, nostris
  Non se implicat laboribus?
Nec quæ agimus, nec quæ patimur, vilissima turba,
  Mens sempiterna providet?
Sed velut instabiles, quas jactant æquora, cymbæ,
  Jac amur usque casibus.
Ille sini t, lentasquè relaxans rebus habenas,
  Suo et fatis negotio.
Ergò nostr Deus nescit modò: nulla neque ipsi
  Mortaliu n est scientia.
Ægeum pius, Ægeum secat impius æquor:
  Eodemquè s lvunt tempore.
Increpat hic astr s, superosquè lacessit iniquus
  Injuriosis vocib s.
Supplicat ille, sacru mquè aris imponit honorem,
  Odora turis vulner .

Sed

Sed pelago in medio, frustra spectantibus astris,
Frangit carinam naufragus:
Immergitquè undis sanctum caput: aut vaga, fato
Crudeliore, litora
Nudus habet, cernitquè avidas fluitare per undas
Navis litatæ rudera.
Assuetus contra Divos proscindere lingua,
Et puppe pacatum mare,
Pergit ovans: certantquè maris deducere ovantem
Nymphæ marinis lusibus;
Dum litus teneat sospes, puppiquè coronam
Imponat, indulgens mero,
Quod non sideribus, cursum quæ clara regebant,
Perjura libat dextera;
Sed nobis dulcem craterem vertimus, inquit:
Bibant marinum sidera.
Æmula Romani juris, Bolenia proles,
Omnis nefandi callida,
Quæ divùm cineres flammis dare; quæ dare jussit
Disseminandos Africo:
Docta homines, & docta Deum contemnere: docta
Sacris profana vertere,
Elisabeth, longùm florens Regina senescit,
Sceptrumquè jungit funeri:
Nec timet ultricem dextram, quæ libret ab aure
Corusca fulmen irritum.
Quæ contra justa est soboles, quæ criminis ultrix,
Vindexquè sacrorum impigra:
Relligio extremis qua restaurata Britannis:
Qua redditæ aris hostiæ,
Vix lustrum regno superat, soliumquè feretro,
Et pronubas tedis faces
Extemplò mutat, didicitquè vocare futuri
Incuriosa sidera,

 Sic

Sic scelera, & passim scelerum fomenta triumphant:
Regnantquè læta crimina.
At pietas ignota jacet: fulmenquè timentis
Est fulminari præmium.
Hæc secum tacito voluebat perditus ore:
Nec se putabat decipi.
O vanas hominum mentes! vigilatis? aperto
An somniatis lumine?
Quot certè vobis etiam torpentibus, omni
Ab orbe mira consonant
Argumenta, præesse Deum mortalibus, & vi
Majore nostra dirigi?
Aspice, quàm stabili stellis ardentibus aptum
Cœlum ruit vertigine:
Sideraquè ut vicibus certis surguntquè, caduntquè:
Seu quæ vagantur sidera,
Seu quæ limen idem, ceu castra stataria, servant,
Tremulaquè palpitant face.
Aspice, quàm variat nova eosdem Cynthia vultus,
Erransquè nusquam fallitur.
Jam sequitur, jam præcurrit lunatica fratrem
Et pleno, & orbo sidere.
Quid memorem annorum leges? quid justa quotannis
Dimensa metis tempora?
Vere renidet ager: plena mox flavet arista,
Caldis adustus solibus.
Sed simul ac Titan jam mitior, igne reducto,
Iter retexit arduum:
En, Pater ò lenæe, tibi spumantia pleno
Falerna fluctuant lacu.
Nec mora Caucasiis à montibus excita bruma
Sylvis honorem decutit.
Has mutare vices, has secum tempora leges
Tenere semper aspicis;

Mens

Mens quippe intus agit, totumquè infusa per orbem
Dispensat omnibus modum.
Ergò qui exanimum moderatur providus orbem,
Partemquè curat infimam:
Qui mare, qui terras, cœlumquè, ignesquè sonantes
Cogit severis legibus,
Hic humana dabit sine lege, sine ordine ferri,
Ut ut rotantur casibus?
Quæquè orbi pars est melior, concedere sorti,
Sibiquè servare ultimam?
Fallere, qui ista putas: effusa licentia frænos
Ut ipsa nullos mordeat.
Non Deus hæc nescit, nostrùmquè scientia in alto
Est, est profectò altissima.
Et malè facta videt, tacitoquè in corde reponit,
Quæ mox reponat fulmine.
Numinis ignavi ne crede oblivia, justi
Quæ mira sunt silentia;
Sed rumpenda tamen: gravitasquè in tempore reddet,
Quidquid pepercit tarditas.

GRAE-

CROESVS

LYDIÆ REX

Divitibus nunquam benè eſſe.

ODE XXIV.

CAndida nocturnos iterabat Cynthia campos,
Stipata multo ſidere.
Cuncta vocant placidos ad feſſa cubilia ſomnos:
Nec ulla plorat alitùm.
Unda ſilet: nemora alta ſilent: ſilet omne ferarum
Genus ſopore languidum.
Lydius aſt Princeps, tantum qui legerat auri,
Quàm magna arena eſt litoris,
Fluctuat incertùm; nec ſolvit lumina ſomnus,
Somnus negatus improbis.
Diverſus trahitur veſanis pectora curis:
Qualis carina fluctibus.
Picta relegatos revocant non ſtragula ſomnos:
Nec aureum conopeum.
Neſcius, in ſtrato quæ fulcit pluma, timorum
Inſtar futuram niduli.
Sic & inops opibus: ſic multo pauper in auro es,
Quicunque ſorte niteris.
Sortis deſtituam non ſerus transfuga partes,
Curis ſolutus pallidis.
Ruris et umbroſum quà vitrea deluit unda,
Me dives ævum conteram.

Illa

Illa quies, tyrio quæ non tibi venditur ostro,
Venalis est agro mihi.
O qualis placido celatur rure voluptas
Inter sopora flumina;
Cum recreat densas, annosa cacumina, sylvas
Siren Aëdon rustica.
Frondes intereà, Zephyriquè, & amabilis Echo
Læto reponunt murmure.
Scimus ut arcitenens harum fuit auctor Apollo
Sententiarum Delius;
Ut viridi rutilum campo mutavit olympum:
Et fistula testudinem.
Mille illum Dryades, calamis nemora aspera amantem
Mulcere, cingunt saltibus:
Faunisquè, & Satyris, agrestia numina, mixtæ
Oreades bicornibus.
Non Deus ex illo Arcadius syringa ciebat,
Jugo strepentem Mænali.
Ex illo auritus meminit non Ismarus Orphei,
Lyra revellentis juga.

Adverſis non ſuccumbere Beatum.

ODE XXV.

FElix, qui ſummo rapidos de vertice nimbos,
  Actu ruentes horrido,
Ipſius imò etiam convexa ruentia mundi
  Vultu irretorto proſpicit.
Qui quàmvis medio deprænſus in æquore, cum Auſter
  Ciet procellas turbidus:
Nubilaquè eripiunt cœlo ſolemquè, diemquè,
  Serena ſervat pectora.
Proſpera non illum, non illum turbida juſto
  Plus erigunt, aut deprimunt;
Vſque ſed æqualem librans ſub pectore mentem,
  Nec ſpe tenetur, nec metu.
Hunc ſi centeno pulſet tortore tyrannus:
  Tauro ſi adurat æneo;
Non ille indecores gemitus jactare, neque ille
  Arcere fatum lacrymis.
Supplicia ipſa prius deerunt, quàm deſit in omne
  Parata mens incommodum.
Sæviat, ut fortuna poteſt, mutetquè repentè
  Opes beatas aſpera
Pauperie: turbamquè olli veſana clientum,
  Auramquè plebis auferat;
Extemplò ſimul atque fugam parat invida, gaudens
  Volubili negotio:
Ille aurum, ille auram, rumoremquè ille ſecundum
  Reſignat ultro interritus.
Dequè ſuo dives ridet fera fata: quòd ultra

Velint

Velint licet, nil auferant;
Quod rota dejectum ſic fundo admoverit, ut, ſi
De more voluit, erigat.
Vſque adeo nobis nos uni impunè nocemus:
Nos noſtra amamus vulnera.
Qui fidus, parcuſquè ſui ſibi providet, illum
Sagitta nulla ſauciet.
Non Deus in medio noſtram cuicunque ſalutem
Ponit petendam ſpiculo;
Sed prudens imo hanc penitùs ſub pectore condit,
Omni latentem vulneri.
Ergò ſe perimit, qui rebus ſe abiicit omnem
Voluptuoſis deditus:
Qui pallens inhiat, pallenti concolor auro,
Opes ſuperbas Attali:
Aut quem ſolicita ambitio fodit uſque, & amicæ
Noctis ſopores excutit.
Væ mihi, væ miſero, quid prodeſt ampla ſupellex?
(Inſomnis Aman ejulat)
Quid populi, undarum ritu vacua atria noſtra
Quos poſtibus plenis vomunt?
Regnaquè tot nobis regnata, locuſquè ſuperbis
Longè tyrannis proximus?
Quid magni generis numeroſa examina nati,
Qui noſtra laxant oſcula?
Non ſum Aman, non ſum fortunæ filius albæ:
Dum Mardochæus ætherem
Aſpicit hunc: dum iſtis nobiſcum veſcitur auris,
Qui pendeat dignus cruce.
Ille nihil noſtræ faſtigia pronus adoret
Sortis? nec idem palleat
Triſte ſupercilium noſtrum, vultumquè, caputquè,
Jurare per quod territum
Vulgus amat? cui non ſum terror, & horror ad omnem
Mun-

Mendi patentis angulum?
Negligat hic unus? nec me veneretur euntem,
Nec transeunti procidat?
I sopor, i requies oculis incognita nostris.
Incumbe totis viribus,
O anime, atque omne huc violentus contrahe, quicquid
Est artis, est & ingeni.
Infandum prosterne caput. qui flectere nobis
Negat superbus verticem,
Pendeat erectus pro celso robore: & æquum
Sibi auferat fastigium.

LI-

LIBER QVARTVS

CARMINVM

VARIA.

Iesu præſentiæ Votum, ex illo, Indica mihi, quem diligit anima mea: ubi paſcas? ubi cubes in meridie?

Cant. I.

Sola progenies Tonantis alti,
Sola progenies Parentis almæ,
O Jeſu, ô amor expetite, quantùm
Non ſeptemgemini fluenta Nili
Ægyptus ſitit imbribus negata;
Quantùm non libyci viator agri
Tactus dipſadis aſpero veneno,
Rivi pocula deperit ſonantis.
Tu, qui flos habitas aprica campi,
Tu, qui fons recreas rogos amantum,
Tu, qui Sol radios refundis aſtris,
Tu mi cor rapis, ultimaſquè fibras,

Vriſ-

Vriſquè hanc animam tibi occidentem.
Vris: ſeu radiant genæ micantes,
Quæ ſparſæ roſeo nitore veris
Candeſcunt gemina, rubentquè parte;
Seu lætas acies vibrant ocelli:
Bina qui velut aſtra fulgurantes,
Ipſas reſpiciunt, beantquè cautes;
Sive aura ambitioſior capillum,
Flaventem magis aureo metallo,
Turbat molliter: oſculumquè paſſis
Figit molliculo comis labello.
O Jeſu, ò iterum expetite, quantùm
Non umbra aſſiduo die peruſto:
Non unda aſſiliens benigna laſſo:
Non aura æquoreo ſecunda nautæ,
Te magis, magis ipſe concupiſco,
Tuas delicias, tuos amores.
Quare, lux mea, corculumquè cordis,
Dic, ubi recubas, rubente Sole;
Dum cœli medius ſecatur axis?
Dic, quæ ſyluula ſirium latrantem
Defendit capiti beata; cùm tu
Inter lilia lilium moraris?
Hunc tu ſi doceas locum: pateſcant
Tuæ ſi mihi commorationes;
Ipſis tunc ego ſedibus Deorum,
Et regum ſoliis valere juſſis,
Quamcunque indocilem viam vorabo,
Vt ad te veniam meridiatum.

NE·

NE IESVS INFANS Ad præſepe compoſitus algeat IN HYEMEM.

ADeſte huc, animæ tepentiores,
Formoſi comites quot eſtis anni,
Adeſte, horridulæquè ad antra Bethles
Flate flamine melle molliore.
Flate, quò glaciem reſolvat hora,
Quò tepeſcat inelegans december.
En audimur? adhuc nivalis aura,
Adhuc molliculos cruentat artus,
Crudelis, teneroquè, parvuloquè
Tonanti? tremit ipſe, lacrymanſquè
Plenis lumina guttulis fatigat.
Mater ſuaviolum apprimit gementis
Oſcilloq; corallinisquè labris
Applorans; numerumquè vincit omnem
Maternæ ſeges oſculationis.
Bruma peſſima, bruma perduellis
Protervis etiam? ſceleſta ad arctos,
Ad ſeptem fuge peſtilens triones,
Peſtilens fuge; quippe mì abripit cor
Tenellæ labor ejulationis.
O factum benè. flant modeſtiores
Auræ; jam tepuit. ſopore victus
Infans jam cubat elegans in aurem;
Quamquam ſtrata laterculis ariſta,
Et præſepia ſubrogata cunis

Somnum vos facitis negotiosum.
Sed qui Cœlituum tenetis agros,
Vos cavete, flagellet unda ripam,
Seu morantibus obstrepat lapillis:
Ne ramusculus increpet, procaci
Irritante noto. silete musæ,
Silete omnia; stertuit Puellus.

Post-

Poſtquam conſumatj ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus

I E S V S

Luc. 2.

NOmen cum lacrymis, probriſquè natum,
Nomen ſanguine, petriniſq; cultris
Inſcriptum pueri artubus Tonantis,
Proh dolor! ſed idem virentis Hyblæ
Nomen nectare dulcius favorum:
Somno mollius, elegantiuſquè
Aura, quam comites tepentis horæ
Exhalant Zephyri è ſinu roſarum.
Nomen, floſculus omnium leporum,
Honor, deliciumquè literarum,
Dulce, dulciſonum, medulla mellis,
Ut primùm accinis auribus: beaſti,
Quantum mœſtitiæ eſt, erit, fuitquè.
Mittis ſpicula, literas ſonantes,
Queis dolor doleat ſtatim peremptus:
Lacrymæquè hilaræ, ſtupente luctu,
Ridere incipiant. Nigreſcit aër
Ecce nubibus: irruunt procellæ:
Peſtes mille ferocibus colubris
Ornatæ caput irruunt; ſonas vix
Nomen nobile, nomen auſpicatum:
Extemplò rutilat ſerenus aër:

Extemplò fugit actus orcus orco, &
Campo turpiter hostibus fugatis,
Triplex syllaba dulciter triumphas,
O solatiolum omnium laborum,
Dolorumquè levamen intimorum,
O cordis nimiùm calentis aura,
Amorisquè, amor elegans amantis,
Nomen sidere plurimo notandum,
Egon' prætercam, notare versu
Te meo? peream, nec indè toto
Vates nominer, efferarquè Pindo;
Ni meo properem notare versu.
At vates alius gemat; quòd ultrò
Sibi syllaba contumax repugnet,
Ne possit numeris ligare certis
Nomen cum violis, rosisquè natum;
Sed tu, suaviolum sonantis oris,
Nomen flexile, molle, delicatum,
Veni ad carmina dulciter vocatum,
Dicent te superi, micante chorda:
Dicent te stygii, micante corde:
Festivi utraque dicet orbis ora,
Et auræ celeres, & unda liquens,
Et silvæ, & nemorum hospitæ volucres,
Montesq; fluvviiquè, turbinesquè:
Dicent omnia: suppliciquè lingua.
Dicam ter, quater ipse, milliesquè;
Dum spirabilis aura, dum manebit
Nostrorum cinis ossium: per omne
Ævum, nomen amabile, inclytumquè,
Te dicam. tamen avolare dictum
Cave; sed magis insere in medullas
Te meas, animæ ò amor, meiquè
Major portio, cariorquè, IESU.

AD

AD IESVM INFANTEM

SVSPIRIA.

IESU, delicium tuæ parentis,
IESU, mellea Cœlitum voluptas,
JESV, quem Pater alterumquè, idemquè
Vivis exerit usque de medullis:
IESU, purior indicis lapillis,
Alpina nive, lilio, columba:
Idem suave rubens, perinde Pæsti
Rubris alba rosis ligustra misces:
IESU, lætitiæ benigna vena,
JESU, gratia prima gratiarum,
Tu suspiria delinis, diesquè
Jnsano potes avocare luctu.
O mœsti genialis aura cordis,
O solatiolum omnium dolorum,
O suspiriolum efficax amantum,
En unquam ulla erit affutura nobis,
Quæ lux hanc animam tibi immolabit?
O si nunc Japonum darentur oræ:
Afrorumve die perusta forti
Si quis nunc daret arua: quæquè dudum
Jam læstrigonio natabat ense
Tellus. ille meos revellere artus,
Hic abscindere palpitantibus cor
Fibris. huc ego gurgites lacesso,
Flammasquè, illuviesquè, belluasquè,
Et quantum fuit, est, erit dolorum.
IESU (scis etenim) medulla nostri

Z 3 Sa-

Sanè hoc delicii est, & hoc beatum,
Hoc desiderio expetitum aperto,
Inter tela animamquè, spiritumquè
Me prorsus tibi fundere; occidentem
Dum tu lumine contuens secundo, est
Nobis hic amor, inquies, amori.

ME-

MENALCAS.

Refert Pastorum lætitiam improvisam, eorumq; studium Servatori dudum nato dandi Natalitia.

ECLOGA.

Melibœus *Mœris*.

MOeri vides, quantum se lumen misit Olympo?
Quàm subitò nostris illuxit rupibus? Ecquæ
Insperata salus? quia nam sic ridet olympus?
Cernis, ut ipsa sinum passim fert non sua tellus
Lilia? qua violæ florem, qua mollis achanti,
Narcissumquè, etiam nigris vaccinia labris?
Mœr. Imò equidem majora: hìc, hìc, Melibœ, ubi clivus
Lenè venit, facilemquè viam scandentibus offert:
Vidi equidem, vidi ipse: vigil cum nocte sub alta
Condono excubias pecori. Deus ille, Deorum
An similis? tantis præbet se vultibus ultro
Maximus indigetum, cœlo demissus ab alto.
Aurea cæsaries olli per lactea colla,
Quam nulli cogunt nodi: quæquè optima circum
Corpus obit, multo vestis prætexitur auro.
Hinc inde in versum pennæ. non Cynthius illum
Luminis officio superet, radiiquè micantis.
Extemplò turbatur agris. me pectus obire
Parte metus, majore tamen sed parte voluptas.

Ille, O gens nimiùm vestro dilecta Tonanti,
Parce metu, dixit; bonus adsum, & lumine dextro.
Credite, nunquam alias vestro præluxerit Orbi
Lætitiæ tam fœta dies. ego lapsus ab astris
Hæc terris refero. jam nunc sperate fluentes
Melle amnes, undamquè petra manantis olivi.
Quem cecinere Patres, quem perditus audiit orbis,
Afflictis laturum olim solatia rebus,
Venit; eum radiis, operoso & fulmine dextram
Exutum, dura Genitrix componit arista.
Bethleos ite ad campos, & proxima rura;
Quà se projecto subducit culmine rupes,
Inquè antrum discedit: ibi (lacrymabile visu)
Vagit enim, terras qui nutu, & sidera torquet.
Hæc effatus: & extemplò, chorus aliger, olli
Cœlicolæ, induti latè fulgentibus armis
Addunt se, referuntquè suos ad sidera cantus.

Melib. Hæc equidem jā olim nobis ventura Menalcam
Audieram cecinisse: ego tunc non credulus illi.
Namque canebat: uti magni jam voluere soles
Inciperent, puriquè dies, atque aureus ordo
Missus ab integro sæclorum; utquè afforet, alvo
Enixura Deum thalami non conscia Virgo.
O felix Virgo, tantis quæ adjungere terras
Fœderibus cœlo possis. tu sidera præter
Sublimis gradiere: tibi styx mugiet atra
Sub pedibus: te qui occiduas, quiquè ultimus oras
Accolit eoas, precibus, votisquè fatiget.
I Virgo, i felix: &, quæ sit mollior auris,
Orna fasciolam. i, manibus depectere lanas,
Non ipsas tyrio saturas, rutilasquè veneno.
Nec tantùm ista, imò his multò majora canebat,
Quæ fugiūt; numeris neq; erant ea commoda nostris.

Mar. Et tu plura sine, hinc potiùs veniamus ad antrum.

Vt

Vt veniamus ad antrũ,æqua est via.quod,modò restat:
Carmina, quæ puero dicemus (rustica dona,
Carmina, credo equidem, respexerit) inter eundum
Experiamur; enim multos desuevimus annos,
Cogere seu calamis animas, seu condere versus.

Melib. Experiar: licet ista mihi jam oblita;neque unus,
Mœri,deest animus:tulerunt quoque tempora vocem.
Tu prior: alternis referam dein ipse camænis.

Mœr. Dicite io sylvæ: jam vivimus. en nova fulgent
Astra: novis en se fulgoribus induit æther.

Melib. Vosquè ò pastorum deducta mapalia, cœlum
Vincite; vos emeret cœlum nunc omnibus astris.

Mœr. Ex isto nullum fuerit mihi numen Apollo:
Nulla Palis, Cererisquè:Iovis quoque numina nulla.

Melib. Et mihi Bethleo qui vagit parvulus antro,
Vnus honos, amor ille idem, numenquè manebit.

Mœr. Parvulus in cunis alget Deus; at Deus ille
In cunis quanquam alget: adhuc mihi pectus adurit.

Melib. Vrit adhuc & nos parilis rogus; arida qualis
Sylva solet: si nata ferunt incendia venti.

Mœr. Aspice, queis tellus se pingit floribus. ipsi
Visi lætitia motare cacumina montes.

Melib. Imò ego præcelsis videor mihi celsior astris
Ire. suas sibi res habeat luctusquè,metusquè.

Mœr. Exin insidias pecori defendite nullas
Pastores; nemo vestros jam fascinat agnos.

Melib. Vertite aratra,boves;nullũ manet æquor arãdum;
Sponte sua venient nullo sub vomere fruges.

Mœr. Sed nos, nec falsus videor, successimus antro.
Ille ille est, Melibœe,locus. vos rura valete:
Rura valete, libet nostros ibi condere soles.

IE-

IESVS CHRISTVS

Respiciens Petrum, adhuc post fidem turpiter violatam ejus conspectum solicitè quærentem, per intuitum ipsũ sic tacitè Objurgat

QVid mea, Petre, optata adeo est præsentia? cernis
 Quid vultus avido lumine, Petre, meos?
Non tu nosti hominem: nec amicæ insignia frontis;
 Quem spectas, nunquam cognitus ante fuit.
Ast ego novi hominem: linguæ perjuria novi:
 Et novi, qua ipsa est firmior aura, fidem.
Sic ergò excidimus? tam longa oblivia tempus
 Tam breve in ingrato, perfide, corde tulit?
Ignotus tibi sum; nec sum jam filius alti,
 Qui quondam fueram, te quoquè teste, Patris.
Non sum, quo mandante, tuis liquida æquora plantis
 Sternebāt siccam, ceu sola dura, viam.
Cumquè tibi pavido defecit spiritus: & jam,
 Exclamas, dextram porrige, jam pereo;
Porrexi dextram, quam tu perjurus, amores
 Oblitus nostros, fallere debueras.
Auxilio emergis rapida bis sospes ab unda;
 Illa sed hanc docuit te, reor, unda fidem.
Ut me nosse negas: ipsum te nosse negabis?
 O notus saltem sit tibi, Petre, Petrus.
Ipse es, qui hesterna jurabas vincula nocte
 Malle pati: morti tradere, malle caput;

Qui

Qui te jactabas hosti certare paratum:
  Et quamcumque magis te subiisse necem;
Mequè catenatum, si fors ferat, usque ad acerbum
  Supplicium: ipsa, usque ad funera, velle sequi.
Næ tu verba dabas; neq; enim hìc sunt vincula, nō mors:
  Non, quem tu metuas, obvius ensis adest.
Vox una, una oris te perculit aura. quid arma
  Non trepidus fugias, si levis aura fugat?
Ista & amicitiæ dissolvere fœdera nostræ:
  Ignarum ista mei reddere te potuit.
An mihi mutati vultus; quòd milite cingor?
  Quòd premit immeritas dura catena manus?
Ah quid erit: videas cum scissum verbere corpus?
  Cum fodiet circum spina cruenta caput?
Cum manibus fixum videas, pedibusquè: meiquè
  Nulla mihi fuerit pristina forma super?
Tunc hominem nosces? nosces fortassis amantem;
  Informis vultus vultus amantis erit.
Quanquam si quid adhuc memor es nostriquè, tuiquè:
  Si, quod jam fuimus, commeminisse, potes;
Hoc merui; quòd subductum te retibus, orbis
  Invexi solio, primaquè regna dedi?
Hoc, quòd te jussi terræ, cœliquè potentem:
  Et jussi, partes te moderare meas?
Quòd volui, assiduè comitem noctuquè, diuquè
  Præ cunctis nostrum te sociare latus:
Macte animis, dixi: petra mihi surget in ista,
  Quam super excelsam molior ipse domum.
Tute gubernator sedeas, clavoquè ministres:
  Dum mea, sic jubeo, classis arabit aquas.
Tu cœli postes claudis; tu pandis eosdem:
  Et stygiis etiam tu dominare plagis.
Imperio cernes regum capita ardua, fastu
  Seposito, plantis oscula ferre tuis.

Quàm-

Quàmlibet extremo lateat gens abdita mundo,
Accipiet sacrum te venerata jugum.
Nec, si Acheron totus portis se effundat ahenis,
Sublimi poterit regna movere loco.
Hic ego, hic ille tibi decorum certissimus author
Tantorum, quem nunc, improbe, nosse negas.
Utcunque ore negas: tua cor mendacia damnat.
Lingua negare: at non mens, animusquè potest.
Ergò nosce nefas. perjuræ crimina linguæ
I velox, oculis emaculare tuis.
Integra culpa tua est; non est tamen integra pœna;
Flagitiiquè tui plurima pœna mea est.
Tu lacrymas: fundam ipse animam: fundā, ipse cruorē;
Morte ego: tu pœnas criminis imbre lues.
Tu largos oculis fletus dabis; at mihi pro te
Ipsum hoc ignotum stat dare morte caput.

LYCIDAS

Eleonoræ clarissimæ, atque honestissimę fœminæ funus deplorat. hæc tum Sosæ, principis viri, Conjux, ab india regrediens, naufragio facto, ad litoris arenam perquàm miserè extincta est.

Ex Maffeo Hist. Jnd. lib. 16.

ECLOGA

Mænalus.

Quà juga piniferi ducunt gelida antra Lycæi,
Sæpè solent docti canere Arcades; Arcades uni
Concedunt Phœbo; referunt dum carmina ad auras
Vocales inter Sylvas, fluviosquè sonantes.
Incipite, ò Nymphæ (fieri, nam mandat Apollo)
Mænalides, quæ per lata rura, per antra, per amnes,
O Lycida, parvi dudum possessor agelli,
Irrita, sed bibulis fundebas irrita sylvis
Carmina: & hæc sævos etiam flexere leones.
Æstus erat, quo grata cadit de montibus unda,
Et valles inter querulis admurmurat auris,
Tum verò nemorosa quies pastoribus ægris
Propter dulcis aquam redit æquoris, atque sub umbram
Ire pecus jussum lenta ad vestigia servant,

Con-

Constitit ambrosæ Lycidas sub tegmine quercus
Intereà; atquè illum simus grex ambiit, atque
Morsibus obliquis olim depasta remandit;
In fletum hoc Pastor cùm cœpit arundine carmen.
Nunc ego, quas memori sublegi mente querelas,
Et numeros reddam numeris, & carmine carmen.
Fletis Hamadryades? jam flete: & agrestia, Fauni,
Numina, Sylvaniquè leves, Satyriquè biformes.
Vosquè ò Naïades, genus æquoris, ite, maritos
Ad lacrymas toto dissolvere gurgite fontes.
Carmen, hyperboreæ quale audivere myricæ,
Conjugis orpheæ dum vita recessit in auras,
(Orpheus Eurydicen, circa nemus omne sonabat
Eurydicen; & sylva sonos à stirpe sequuta est)
Dicite: si qua mei tangit vos cura doloris,
Pierides musæ. jamq; Ismarus audiat, unam
Non fleri Eurydicen, unum non Orphea flere.
Incipe jam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Hoc etenim positus repetam mihi funera saxo
Ah, modò quæ vidi, referens me rauca secundùm
Litora, cœruleo facturus sacra Tyranno.
Incipe jam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Vivus vidi oculis, &, cum tam sæva viderem,
Tunc ego qualis eram! vos auræ, & litora testes.
Stabat humi positum, crudeli corpus arena
Fœdatum; & pedibus fluctus maris allidebant.
Paulatim intereà lethum exanimata bibebat:
Paulatim æterna condebat lumina nocte,
Me miserum! & veteris fugiunt vestigia formæ.
Oceani qualis decumbens Cynthius undis,
Condit se medium: medioquè relictus in orbe,
Exanimes urget radios; nec lumine vivit:
Nec periit: jam jamquè suo nigrescit in auro.
Incipe jam Ceos mecum, mea fistula, versus.

Inton-

Intonsi montes, & montibus addita summis
Sylva: etiam & lucos inter quæ luditis auræ,
Accipite hæc; animoquè unquam ne ponite, Nymphæ,
Nymphæ sive jugum lustratis Oreades: aut si
Najadas aurati sacrum caput allicit amnis.
Incipe jam Ceos mecum, mea fistula, versus.
Mille tibi Dryadum flevere; & mille sub imo
Nereides pelago, præcinctæ vestibus atris,
Ingemuere. etiam has inter pulcherrima fertur
Astra vocasse Thetis crudelia. nunc age, mecum
Incipe jam Ceos, mea rustica fistula, versus.
Ite, ite agrestes aliò, mea regna, iuvenci;
Vosquè leves aliò, sat viximus, ite, capellæ.
Tu quoquè cara magis, si quondam Pana canebam,
Fistula, Mænalidem (quoties, te Judice, versus
Ilicis alterni libro descripsimus?) i nunc,
Funeribus præcurre; ecce hoc te in gurgite mergo.
Quos lyra dat cœlo cantus, dabis ipsa querelas
Æquore. perge: alacris sequar & tua funera, & undas.
Desine jam Cei, mea fistula, desine versus.
Hæc ait, & celeres se præcipitavit in amnes.

IOR-

IORDANIS FLUVIUS

EMBLEMA.

RUra Palestinæ pellucidus alluit amnis;
Vitreus, ac nitidæ prodigus amnis aquæ.
Voluitur argenteo Jordanis lympha fluento:
Defendunt nimium litora opaca diem.
Dignus & oceano fluvius, quem Doris avaro
Excipiat fluctu, condat & inter opes.
Sed tamen undarum tam pura superbia fœdis,
Quales letheæ, nomina perdit aquis.
Formosiquè caput fluvii vada cæca paludis
Insluit: & tantæ deficit æquor aquæ.
Ne mirare; vides perversæ munera sortis,
Illa suis nunquam consona principiis.
Jnfluit in lacrymas risus: labensquè voluptas
Se solet in mæstos exonerare dies.

ACROCERAVNIA

EMBLEMA.

Quæ juga præcelsis spectas æquata minari
  Sideribus, raptum à fulmine nomen habent.
Ista eadem telo lacerantur scissa rubenti;
  Falleris, hoc odium si Iovis esse putas.
Concipiunt tonitru: gemmæ est in fulmine semen;
  Excidiis colitur tam pretiosus ager.
Æthra præest partu: jungit connubia nubes.
  Cùm fulget: thalamis pronuba teda micat.
Nunc vide fortunam, qua vel constantior aura est;
  Hæc quoque cum perimit, si benè pendis, amat.
Quos amat, hos perdit: contra præpostera ditat,
  Quos odit; plenum munere vulnus habet.
Quàmlibet infelix nil sors tua tela timebo;
  Perdere quì possis: si truculenta *juvas*?
Persequere: hoc odium dona; nam vulnera noster
  Appetit hic animus tam pretiosa pati.

AVIS INDICA

Paradiſus.

EMBLEMA.

EST avis, eſt avium potiùs decor: India nutrix.
  Muſa, aude: & nomen det Paradiſus avi.
Olli non deſunt aurata monilia collo;
  Cætera, perpetuò candida, pluma fluit;
Qualia odorato canentia lilia campo,
  Culmen inauratum, cætera lactis habent.
Fama eſt, non unquàm molli conſidere prato:
  Non juga, non virides hanc habitare caſas.
Aſſiduo vivit liquidum per inane volatu;
  Sole oriente volat: ſole cadente volat.
Ut capiat ſomnos; ſomnos non ducit inertes:
  Alite ſopita pervigil ala micat.
Uſque adeo Paradiſus iter commendat: & uni eſt
  Abſque labore labos, abſque quiete quies.
Felices animæ longinqua per æquora vectæ,
  Ite: nec adverſa velificatis ave.

TE-

TESTVDO.

EMBLEMA.

Quę fera perpetuo repit circumdata ab osse
  Testudo, maculat concava terga croco.
Incola seu nemorum, seu dulcis aquæ incola. non est
  Ulla sibi domus; est sed domus ipsa sibi.
Saturno vivit multùm dilecta moranti,
  Et pigra sub pigro nascitur illa Deo.
Non tanta graditur cum majestate tyrannus;
  Vt movet alternos bellua lenta gradus.
Nescit iter, nescitquè domum; cumquè ambulat; intra
  Est iter, atquè intra tum quoque tarda domum est.
Cognatas sedes adeo, vivosquè penates
  Diligit: utque abeat, patria tecta tenet.
Discite, Mortales: patriam ne linquite; nam illam
  Dimidium vestri jussit habere Deus.

ARBOR INDICA.

EMBLEMA.

CErnitis, aërius qui sit labyrinthus ad Indos?
Et quale arcuatum contegat arva nemus?
Arboreum appellare chaos me, Musa iuberet:
Mæander veluti pensilis errat humo.
Nititur ante alias teneris à stirpibus arbor:
Arbor, in eois quæ nemus æquat agris.
Nunc apicem curvat dejecto frondis honore:
Nunc apicem tollit, mox positura suum.
Ter repetit superas: superas ter deserit auras;
Et seritur ramis planta caduca suis.
Erudit ad magnos nos advena sylva labores;
Et docet, ad casus sternere celsa viam.
Quod lapide est jacto ludus, redeunte ruina est.
Fors homines tollit: turpiùs undè cadant.
Crescite opes aliis: crescat congesta suppellex.
Insequitur magnum maxima pœna penum.

STEL-

STELLIO,

ſeu Phalangium.

EMBLEMA.

INgenium patrii cernis geniale veneni;
  Una lues ſaltu, lætitiaquè necat.
Fortè per apricas meſſor conſederat herbas:
  Fallitur ignota dipſade tacta cutis.
Mira fides! olli lacerat dum viſcera virus:
  Excitat ad choreas peſtis amœna pedes.
Et jubet in lætos componere corpora ſaltus;
  Intereà occultus lancinat oſſa dolor.
Dives, nequicquam facilem das cernere riſum;
  Credimus: os ridet; ſed dolor intus agit.

B. STANISLAI KOSTKAE

Divino æſtu plus æquo fatigati

EXCLAMATIO.

OHe, qui calor iſte, quæ favillæ
Depaſcunt animam, medullulamquè
Omnem pectoris ambedunt? quid ultra
Urges, candide amor, facem? reſiſte;
Sum recens tibi miles, & novello
Dudum pectore flammulam recepi.
Uror heu, miſerere. perduelles
Geſſi ſi tibi ſpiritus, remitto.
Viciſti, ſatis eſt. minus ſeverè
Agas cum puero. en color genarum,
Succuſquè excidit omnis. una pallet
In vultu viola: artubuſquè languor,
Languor eſt velut eſuritionis.
O quis me in gelido alpium receſſu
Siſtat, atque hyeme obtegat nivali.
Omnem ò ſi boream daretur imis
Fibris flare, reflare. colliqueſcunt
Heu præcordia: ferte aquas. Ego iſtas
Vecors? ah, prohibete aquas. cavete,
Ne meus gelida tepeſcat ignis:
Ne quid alſerit. aggerate flammas,
Quot quot ſe ſiculis rotant caminis:
Quot quot viſcera ſubruunt Veſevi.
Quippe hic nectare dulcior Deorum
Eſt rogus. querimonias retexo.
Sic uri ut liceat, libet perire.

PHI-

PHILADELPHVS PVER

In Carduelis sui intempestivo funere.

VT fata has animas amœniores,
Ut fata eripiant decus volantum:
Parcant vulturibus, quibus trecentos
Ævum protrahere est datum per annos?
Sic Titan radios caniculares
In molles violas vibrat, crocumquè;
Lappis temperat, asperæquè Sylvæ.
Clotho sic teneram metit juventam,
Ævoq; invidet elegantiori:
Et turpem improba præterit senectam.
Ales, deliciæ, jocusq; sylvæ,
Ardor Naïadum, Cupidinumquè,
Eheu mì occidit: occiditquè, quales,
Ajunt, aonios perire olores.
Olli purpuream Tyrus coronam,
Et conchylia serta comparabant;
Dum pennæ totidem trahunt colores,
Quot Thaumantias arcuat per imbrem.
Non una quoque voce consonabat.
Omnem gutture consonare Pindum:
Una & vox volucrum omnium videtur.
Nunc umbra Elysiis minor vagatur
Undisq; arboribusquè, collibusquè:
Et ducens modulos sonantiores,
Ignotum recitat melos per umbras.
Sæpè illum Danai putem puellas

Tardasse ad fluvii caput fugacis;
Et siccæ intereà stetistis urnæ.
Atque illi Tytios jecur dedisset:
Vt rostro peteret benigniori;
Sed nostra dapibus manu suetus
Arreptis animam piam levare,
Fastidit sceleri cibos paratos.
Tantùm non gemuit parens Achillem;
Aurora & doluit Cycnum peremptum;
Vt quisq; aggemuit meæ volucri.
Flevere Aoniæ necem puellæ:
Fleverunt veneres, cupidinesq;
Et lenis chorus usq; Gratiarum
Deflet plenam animam facetiarum.
Ast ipse inferias tibi quotannis
Solvam carminibusquè, lacrymisquè:
Atque omnis juga personare Pindi
In nomen faciam mei sodalis.
Perquè alnus veteres, sacrasquè pinus,
Quæ Cyrrha, aut aliis aluntur oris,
Nomen, quod tibi cardui dederunt,
Inscribam, veteris notas amoris.
Pallenti viola, rosave pura
Nunc texo tumulum, notoquè carmen:
Istic est tumulus mei sodalis.

DO

DOMINICVS GRISCONIVS.

ADolescens ad pietatem mirificè factus, indolem à natura accepit optimam, quam ipse ampliùs extoluit egregiè, reddiditquè optima meliorem. Liberali forma, ac moribus suavissimis, fuit tamen tenacissimus pudicitiæ, suæq; innocentiæ custos acerrimus, quam ut servaret sanctiùs, bis in singulas hebdomadas, sæpè etiam ter virgineo se pane restaurabat; hinc ille animi candor in ore perspicuus: oculi ad modestiam compositi: verba honestissima; hinc quoquè fervida illa erga Deum voluntas: frequens de Deo sermo: frequentior cogitatio, qua tamen, ut nè unquam excideret, pungente nudum brachium catenula, veluti Divinæ præsentiæ monitore, utebatur. Orabat cum magno voluptatis sensu integras horas, interdum ad multam noctem usq; eò, dum lassum, ac dormitantem nuda ipsa tellus exciperet. in hac ipsa exercitatione perfundebatur sæpè lacrymis: sæpè etiã totus incalescebat, concipiebatq; igneos illos spiritus, quos per diem, verbis ex imo corde petitis, in Deum raptim jaculabatur. Vnus unum se oderat, & contemnebat; laceris proinde de industria incedere vestibus: publicis scholarum suppliciis ad verecundiæ patientiam se insontem offerre: jejuniis, aliisquè corpus afflictationibus, maximè aculeatis latera vexare catenulis, post obitum quoq; in ipso cadavere deprehensis, novo sanè asperitatis exemplo id assequutus, ut sibi longior esset pœna, quàm vita. Coluit Deiparam Virginem amantissimè, in ejus sodalitio perquàm assiduus. DD. præterea Philippum Nerium, & Franciscum Xaverium, cuius instar iam etiam, quos poterat, ad pietatem impellebat: crebrò nosocomia adibat: Indicam antè omnia expeditionem

tàm

tàm avidè optabat, ut vel puer seriò, se illi devoverit, admittiquè profusis etiam lacrymis postularit impensè, aquè irrito, ac mirando per ætatem conatu. Eâ ob causam, ut demum Indiæ paterent sibi, ad Societatem IESV adjecit animum, ad quam cum votis omnibus expetitum, exoratumquè jam ingressum maturat, immatura plus nimio morte præreptus, dolorem suis acerrimum, admirationem exteris maximam, utrisquè ingens sui desiderium reliquit. Obiit imprudenti à locis superioribus casu, cum inter sodales ludo honestissimo otium temporis oblectaret, homologesi tamen antè expiatus, ac supremùm de more inunctus, ter cæteroquin illa eadem hebdomada, pridiequè obitum sacra Eucharistia refectus, sexto Kalendas Maias, anno sal. hum. 1680. ætatis suæ 16. non dum expleto, die, quam ipse religiosissimè venerabatur, Salvatori mortem passo quot hebdomadis sacra, cũ ejusdem redivivi Numinis solennes feriæ agerentur.

EPICEDION.

Grisconidùm de gente puer, dilectus ab astris,
Idemquè astrorum cultor, sub limine primo,
Annorum primo sub sidere, cedere terris
Jussus, in exiguis explevit cursibus ævum.
Tu intereà quid, Musa, jubes? plorare ne alumno
Pindi olim, qui ultrò, ut licuit, vestigia parva
Aonia posuit puer ingeniosus arena?
Sic placet: huic plorare jubes. quin ipsa cupresso
Atra comas luctusquè præis, & carmina nostra.
Heu miseros quantis urgent nos fata periclis!
Quot versant humana modis! armasse parumne
Nostram in perniciem fuerat seu tristia Ponti
Gramina, quævè legunt perjuræ aconita novercæ?
Morborum seu densam aciem, febresq; calentes,

Et sa-

Et ſacros ignes, & cœli flabra maligni,
Lethiferaſquè lues, avidamquè in viſcera tabem?
Seu ſævos chalybes, & Gnoſſia tela veneno
Illita, & aërias quaſſantia fulmina turres?
Addere erat ſuper & luſus, ſaltuſquè, jocoſquè,
Et ſomnos infelices, & ludicra vina,
Atque etiam conjuratos in funera riſus.
Hoc deerat, per læta mori: Mortiquè dolorum
Servitio tumidæ, famulari gaudia noſtra.
Sed decuit genialem animam ſaltuq; jocoq;
Ad ſuperùm tranſire choros: aſcendere ad aſtra
Præcipitem decuit, ſuaquè ultro in fata ruentem.
Ipſe tamen quanto luctu, bis quippe caducus,
Merſiſti, ter care, tuos. non fletus ab unis
Quanquam iſtis. quin te Charites flevere: ſorores
Quin te etiam Aoniæ: Virtus quoque flevit alumnum
Auſis depoſitum magnis, ſi evadere ad annos,
Et teneram ſi fata ſinant tranſire juventam.
Inſuper extinctum doluit, reor, ultimus orbis,
Et quem ſol oriens, & quem ſol afflat anhelis
Pronus equis, luſtrans extremas lampade terras.
Iſtas tu ſedenim terras, & barbara regna
Jam tunc ex illo poſcis tibi, cum puer annos
Ducis adhuc molles, interquè crepundia verſas.
Antevolas quippe ipſe annos: mentemquè virilem
Præripiens, impacatos cupis æquoris amnes
Oceani ſulcare rate, ignotumquè per orbem
Quærere, quas undis mergas luſtralibus oras.
Vel ſi hoc aſtra negant: has ipſas mergere fuſo
Sanguine, magnanimæquè infans occumbere morti.
Aſt aliter viſum ſuperis; ſtatuere, ſed iidem
Fata tamen truculenta tibi: cum fornice ab alta
Velatus ludicra oculos, ac tempora vitta,
Laberis in præceps, miſerandi victima ludi,

Formosamquè animam violento in vulnere ponis.
Quàm magna cœli Rector caligine, mentis
Obduxit decreta suæ! quotquè induit umbris
Humanos vitæ cursus, casusquè futuros!
Proh dolor! in laudes magnas, & grandia facta
Crescentem placuit succidere germine in ipso,
Et solùm spes immodicas monstrare: neque ultra
Maturam ad frugem felicia semina ferre.
Non tamen hinc tenera est pietas neglecta; sed ipsa
In factum tibi cesserunt cœpta: atque repostus
Inter tu magnos heroas parvulus heros
Fulges luce nova, mentemquè, animumquè bearis.
Mos etenim ingenuus, pia mens, odiumquè profani,
Puraquè relligio Divùm, & sententia recti
Vsque tenax, de te hoc spondent, & sidera plantis
Nullos summittunt metuentibus æthere casus.
Quod si quid te nostra movent; hinc lumina terris,
Credo equidem, Indorum advertens, depellere ab istis
Tartareos manes, plutoniaquè urere templa,
Ardes nunc etiam. hoc unum post funera votum
Vivit adhuc: curaquè diu morderis ab ista.
At si mors vetuit te Lojoleïa vivum
Castra sequi, adjungiquè illis, tua vota secundùm,
Militibus; non certè animus, non defuit ipsa
Tessera militiæ virtus. quin funere acerbo
Migrasti postquam hinc moriens: Pater optimus ultro
Mox ipse amplexum solia inter longa suorum
Te extremum locat, ac turmis ingentibus addit.
Intereà si quid possunt mea carmina: si quid
Gratus amor, syncera fides, & nescia virtus
Vera mori: paucos licet annumeraveris annos:
Æternùm vives. vivent tua, vindice plectro,
Nomina, venturosquè æquabunt clara nepotes.
Posteritas extrema licet, miserabitur omnis

Tam

Tàm citò demessum florem, lethumquè severum,
Spes interfectas, & gaudia curta parentum;
Quos ego lamentis hæc funera, atrocia quàmvis,
Dedecorare veto, fletuquè aspergere molli.
Et vetat ipse, necem qui à celso celsus olympo
Despectans; ridensquè suam, Nos scandimus astra,
Inquit ovans. quid fœmineis ululatibus istas
Fœdatis sortes, nostroquè obstatis amori?
Ne facite. hoc, quo nos ipsa infortunia donant,
Totus, non emeret, si in censum se daret orbis.
Felices lapsus, fortunatæquè ruinæ,
Quæ celerem ad superos cursum, accessumq; dedistis.
Sic cecidisse juvat, tenuisse & sidera saltu.
O hominum excordes animi, quid vana timetis
Casuræ jam damna rei: nec maxima vestrùm
Ipsorum vos damna movent, cervicibus instant
Quæ nunc: quæ nullum accipiunt post sæcula finem?
Cur fletis ridenda magis, studioquè perenni
Curas instatis vacuas, & inania lucra?
Vos, genus immortale, simul mortalia tanti
Heu facitis, jacturamquè unam ducitis auri,
Argentivè; & paucorum spatia arcta dierum
Æterno æternùm miseri componitis ævo.
Si quis amor tangit vestri vos: ite, dolosas
Perdere opes, priùs & ipsæ quàm fortia perdant
Pectora, divinamquè animi, quam ducitis, alti
Particulam æthero de semine. temnite molles
Blanditias ævi; nam vos cita funera prænsant;
Temnite, nulla est spes opibus, nec fortibus annis.
Hæc ait, atque suo lætus se lumine condit.

MO-

MONYMA

A Mithridate Ponti rege in uxorem ducta, morte sibi per virũ acie superatum eò imperata, ut ne ejus pudor victoris licentiæ præda foret, è capite statim diademate subtracto, ad fauces elidendas collo circumligavit: quod cum ponderi defecisset, O execrandum, inquit, diadema, neque in tam tristi ministerio mihi profuisti. indè abjectum despuit, & ferro jugulum dedit. Plutarch. in Lucullo.

Postquam res Asiæ, & duri certamina belli,
Quæ fortuna diu dubiis libraverat armis,
Versa retro: & campo stetit è Mithridate trophæum;
Is jam marte minor, veritus, ne fœdera miles
Connubii violaret: inops, trepidusquè, cubile
Ne rueret, ruit ipse prior: vulnusquè medetur
Funere; ne Monymam victor crudelis haberet,
Sublatam letho voluit crudelior. illa,
Qua non altera pulcrior,
Non altera infelicior,
Accepit simul auribus
Mandata formidantibus:
Ut palluit! & ut rubuit! atque inter metum,
Iramquè longum protulit suspirium.
Indè Deos, indè astra vocans crudelia, raptim
Detraxit capiti regia signa suo,
Quæ fatalis amantibus,
Est vitta: & hanc manu legens in nodum, auras,
Quas deserebat, rupit his singultibus:
Quæ me, quæ tellus longè omni dissita mundo
Accipiat? quò me sistam? quis gurgite toto
Obruat oceanus? miserum, fortuna, triumph[...]

Sum

Sum tibi: non insueta tuas sto victima ad aras,
Siccine regales animæ, capita ultima, sorti
Sternimur inferiæ? tanti stant culmina nobis?
Tu intereà magni cape longa oblivia luctus:
I, morere. hæc sortis tibi dona assueta secundæ
Servantur; tibi sola quies Acheronte sub imo est.
Nata fascia regiæ
Frontis lethiferum decus,
Frontis pondus inutile,
Primum tu mihi commodum
Hoc attulisse, gaudeo,
Quod prodes moriturę.
Talia dicebat: collumquè adnectere vinclo
Regali conata, oneri concessit iniquo
Fascia, non unquam geminos experta labores.
Mors refugit, quanquam tunc adventare dolenti
Cœperat, ac trepidis oblivia ducere curis.
At Monyma, ut vinclis cecidit sub pondere fractis,
Vultus pallida frigidos,
Immota primùm constitit.
Mox æquè furiis percita Thyadis,
Quæ fertur pede libero, &
Orgia cum redeunt trieterica, ad astra Cytheron
Quà surgit, furit avia:
Bacchatur, ardet, infremit;
Vixquè potens demum ipsa sui, Nequè funera, dixit,
Si refert periisse, ferunt diademata nobis.
Audite, superi, Diiquè patrii Ponti,
Vos si qua tangit cura nostrarum rerum,
Nec vana terrent nomina indoctum vulgus,
Audite has Monymæ preces.
Quandoquidem viles animæ, fastidia ditis,
Felices sumus: & caput
Istuc Eumenides quoque

Acci-

Accipere silentis horrent tartari,
Si quid precata mereor: hoc unum rogo,
Donate funus fulmine.
Audior. intonuit lævùm mihi Juppiter æquus.
Fulmen ò, quantum, Pater
Da, Typhoëa perderet;
Vel da sacro de vertice,
Fulmen, quo juga decutis,
Ditasquè Acroceraunia.}
Sed non moventur sidera:
Nec audiunt querelas,
Crudelia, ubi parcunt quoque.
Tu absiste, inepta tænia,
Largiri tumulum mihi.
Absiste longè. compulit vecordia
Quæ me, ut optarem bonum
Istuc tu efficeres nec bona carnifex?
Fer, miles, gladium: feri.
Tolle crimen, efferatas belluas quòd horrui:
Nec domus amavi agrestes de flagello frondeo.
Inter hìc secura sylvas desuissem mœnibus:
Regna, opes, ac fortis istas luderem vertigines.
Quid jugali tacta flamma me beatam perdidi;
Si ferarum more, jura quæ recusant Cypridis,
Inter altas Caucasi nives, vel Othryn frigidum
Per salebrosas vias inhospitalis currerem?
Ecce pectus lacrymarum larga vena: percute.
An ne sanguine horret isto durus ensis infici?
Crimen horret? est suetum. sævus esse? fallitur;
Munus est regale funus: largietur tartara.
Dixerat: atque avido vulnus famulare recepit
Gutture. puniceus gliscit perquè ora, sinusquè
Dissiliens cruor; atque animam Monyma ipsa fugabat.

IN

IN CACODAEMONA

Ne Deiparam ſperet originis labe fœdandam

EPIGRAMMA.

Dira lues orbis, cave, Virginis invia tentes
 Culmina, flagitio non adeunda tuo.
Semper læva tibi cœleſtia culmina cautus
 Deſere; ſublimi ſcis tua fata loco.

MAVRITII IMPERATORIS

Dum natum adhuc lactentem jugulat miles, vulnus lacte manat.

EPIGRAMMA.

Siſte, quid intentas tam parvula funera, miles?
 Naſcentem pudeat condere nocte diem.
Nonne vides quanto ſparguntur vulnera monſtro?
 Tu tamen incœptum, perfide, pergis opus.
Sanguine non manant: manant ſed vulnera lacte;
 Hoc dare, non illum tollere debueras.

D. FRANCISCVS DE PAVLA

Præceps montis latus ſiſtit.

EPIGRAMMA.

NOn latus exiguum montis, multoquè pereſum
Tempore, Pauliades præcipitare videt.
Dive, jubes? ſaxum ſtetit: & fugere ruinæ,
Fama, tace; loquitur penſile prodigium.

IN DIOSCORVM D. BARBARÆ PARENTEM

EPIGRAMMA.

BArbare, quid natam inſequeris, curſuq; fatigas?
Inquè puellarem quid geris arma necem?
Cernis, ut accipiunt fugientem mollia ſaxa?
Ah cave, & à ſcopulo, barbare, diſce patrem.

BELISARIO

Da obulum viator.

EPIGRAMMA.

HAnc animam ut tolerem, qui transis hospes, egeno
Porrige (sic valeas) æra minuta duci.
Sæve negas ? abi ; opes utinam tibi fata secundent :
Et culmen valeas pertinuisse meum.

D. THOMAS AQVINAS

Fœminam à se torre fugat.

EPIGRAMMA.

INvidit nulla juvenem face vivere Cypris
Correptum : nullo corda flagrare rogo.
Tenduntur fraudes : & sola in sede morantem
Aggreditur blando blanda puella dolo.
Ut patuit malefidus amor : furor ire per artus ;
Igneoquè igniferum torre fugare nefas.
Quid juvenem, Cytherea, audes incessere ? in illum
Quid facibus possis, si fugat igne faces ?

DIVITIS VOTVM.

EPIGRAMMA.

FErtur, in Heliadum cùm repit vipera ſylvis,
Electri ad lacrymam conglaciaſſe fera.
Invidit dèmens tumulo; atque, ò Iuppiter, inquit;
Cur non ingentes me tumulatis opes?

IN AVLVM DEMENTEM

EPIGRAMMA.

AUle, ſapis nimiùm, dum te dementia mutat;
Mens alios, mentis te tua damna beant.
Pauper agri cultor fueras modò. deſipis? indè
Eſſe omni nil te ditius orbe putas.
Vota levi faciant alii trepidantia ſorti:
Tu modò ne ſapias, ſi ſapis, Aule, roga.

IN CLAVDVM, ET IN COECVM

EPIGRAMMA.

VIr pede truncus erat: gemino vir lumine captus;
Neuter inoffensum solus adiret iter.
Iste querebatur nullum cognoscere callem:
Ille dolet frustra cernere posse viam.
Invidia amborum benè magna. hic lumina mallet:
Ille pedes: votis pugnat uterque suis.
Risit tunc homines nunquam Natura tenaces
Propositi, & discors in sua vota genus.
Oceano in medio patriam ploramus amicam:
In patria Oceano nil prius esse solet.
Hic sua tecta gemit per inhospita rura viator:
In lare cognatum devovet ille larem.
Ne vento rapiatur apis, dat mica saburræ:
Ne leve te ingenium, det tibi mica salis.

IN GLABRVM

A testudinis lapsu vulneratum

EPIGRAMMA.

MOrs tibi vulnus erit capitis, cave, dixit haruspex.
Audiit, & cautus ruris aprica tenet.
Fortè Jovis volucris, pedibus testudine rapta,
Quærit inoffensam saxo aperire feram.
Huic aderat coma nulla; quod ut simul aspicit ales,
Gaudet ad appositum pertinuisse locum.
Præda ruit, fractura glabrum: vulnusquè deerrat
Vulnere. sospes erat bellua: fractus apex.
Ille biceps, proh clamat ineluctabile fatum!
Ut peream, visum est hoc caput esse lapis.
Si hæc stabant capiti præpostera fata: fuisses
O utinam visus tu, lapis, esse caput.

FOR-

FORTVNAE LVSVS IN DIVITE.

EPIGRAMMA.

Ilice sub nigra dives suffoderat aurum;
  Ilicem & hanc lethum certus adire petit.
Suadet paupertas. ergò dum dextra capistrum
  Instruit: en caveæ lumina signa vident.
Nescio quæ subitò spes menti affulsit egenæ;
  Excavat, & positas repperit intus opes.
Mors mea dispereat, dixit; laqueoquè reposto,
  Discessit Crœsus, qui modò Codrus erat.
Vix abiit: foveam repetit cum Dives inanem;
  Defodit; & pro auro commoda funis adest.
Ut vidit, qualis correptus sidere, totus
  Intremit, & laqueum, non sua fata, capit:
Illum aptat jugulo: partem ramo implicat: indè
  Desilit, ac moriens pensile funus agit.
Ne me vester amor teneat, satis ipse cavebo,
  Quando sic dominos illaqueatis, Opes.

IN IACTATOREM INGENII SVI

EPIGRAMMA.

O Cerebriolum meum disertum:
Te offendo quoties inauspicatò,
In aurem mihi millies susurras.
Credo, nec magis hoc volo probatum.
Quare desinè inutilis laboris;
Omnes jam pueri, patres, nepotes
Hoc cerebriolum sciunt disertum,
Cujus tu sale cuncta condiisti.
Sed pruris iterum, frequensquè garris:
O cerebriolum meum disertum.
Quid hoc vult sibi, jam scio. es facetus,
Et tui vafer æstimator assis.
Quod multi faciunt, facis vel ipse.
Exauget sua quisque venditorum:
Quadrantemquè avidus vocat trientem.
Auges tu nihil, & parum vocasti:
Et nihil cerebri parum cerebri.
Hoc cerebriolum est tuum disertum.

EPI-

EPINICIA TERRARVM ORBIS

Excellentiſſimo Domino D. Gaſpari de Bracamonte, & Guzman, Comiti de Peñaranda, Catholicæ Majeſtati à ſecretis cubiculi, Supremi Concilii Indiarum Præſidi,& in Neapolitano Regno pro Rege, cum eidem in Collegii Neapolitani aula Theſes Philoſophicæ propugnarentur, cantata.

Præludia cantus ad muſas.

HUc ò collis adeſte, quotquot eſtis,
Incolæ aonii duces leporum,
Quibus ſe ſociant chori, jociquè,
Et quantùm tenet elegantiarum.
Huc transferte Helicona, cònſonumquè
Parnaſſi nemus omne. concitate,
Quidquid eſt fidium ſonantiorum.
Sed oh quid teneras voco puellas?
Greſſum vertite protinus, Camœnæ;
Signum dat tuba triſte jurgiorum.
Arma, arma, arma ferox fremit juventus:
Pallas arma repoſcit: arma tempus:
Arma cuncta ſonant; volantquè verba,
Tanquam de ſcythico ſagitta cornu.
Ergò, ſi ſapitis, valete, muſæ:
Hinc recedite protinus, Camœnæ.

HI-

HISPANIA

In Excellentissimo Alumno suo exornando Virtutis, ac fortunæ certamen dat.

Pone, ò Calliope, frontis adoream:
Reginam placidi litóris ultimam
Agnosce Hesperiam. cernis, ut insolens
Vultus Mœstitiæ ridet; ubi pede
Felici Ausoniam, vecta favoniis,
Succedit, pelago dulce equitantibus?
En pompa appropetat. multisonum melos
Audin', & citharę fila micantia,
Longè magnanimum quæ resonant Virum?
Intereà ætherios dum sulcat Iberia campos,
Nobile certamen, cithara, quæ pendet, eburnea
Fors prior; alterno dein incipit ordine Virtus.

For. Fama, tubas centum fortunæ adjunge loquenti;
Audiat, extremas qui bibit Indus aquas.
Vir. At mihi respondent convexa sonantia mundi:
Consonat in laudes axis uterque meas.
For. Princeps, fortunæ lectissima cura: quid aurum
Mygdonii libeat commemorare ducis?
Vir. Virtutis, Princeps, labor, & solertia; fastis
Ne cane Alexandros, Græcia culta, tuos.
For. Viscera, terra, doles, tibi findier aurea? nosti
Si tua, cui prosunt vulnera; te feries.
Vir. Gloria, Gaspareos ducis ne operosa triumphos?
Desine; namque istos ducere, sol veniet.

For. Lon-

For. Longa fatigavit quod secula stirps tua, & annos
Perdomuit; fortis nobile munus habes.
Vir. At mea te seclis servant decora ampla futuris.
Illa fuit patrum gloria; at ista tua est.
For. Nonne vides quàm felici ditione coruscas?
Ista dat imperium dextera, & ista dabit.
Vir. Non debes forti; sapiens dominabitur astris.
Ista dat ingenium dextera, & ista dabit.
For. Quidquid opum terris fulget, mutabile semper
Munus; at huic solùm non repetenda dedi.
Vir. Vt repetas peritura, dedi majora periclis
Ornamenta Duci non peritura meo.
Hìc tum sublimes excepit Iberia cantus,
Et ista, dixit, jurgia
Rumpat canorum prælium,
Nostro dicatum sanguini.
Et utriusque sit decus;
Quòd conjurato cumuletur munere Gaspar.

ITA-

ITALIA

Excellentissimo Duci suo æternam famam, æternamquè sibi felicitatem vaticinatur.

ILla egò terrarum fortunatissima, primus
Naturæ nascentis amor, cui pinguia rura,
Commoda rura Paliquè, & amanti saxa Minervæ:
Ingenium cui lene soli, cœli quoque mores
Non alii: cui læta dies: cui candidus annus,
Et puri soles, & somno mollior aura;
Necnon heroum genitrix, & patria Divûm,
Quam ditat cornu, versaquè opulentia dextra,
Clara adsum Italia: & chorus
Mecum frequens sirenulæ
Adsunt, delicium maris,
Quarum Parthenope, comas
Inflammata coralliis,
Plectrum corripiens sibi,
Qualis marina Pieris,
Te Bracamontiadûm genus immortale per omnes
Grata canit terras, nomenquè renunciat Orbi.
Jam magni rediere dies, solesquè benigno
Sidere collustrant terras. jam turpis egestas
Exulat, atquè novo succedunt otia vultu.
Erigone, jam tempus adest, quo nota relinquens
Sidera, te terris referas. vel, si astra morantur
Te tua; tunc cœlo in medio quà proxima Libræ
Est regio, laxa campum, quem maximus heros

Occu-

Occupet, atque ingens astrum se præbeat orbi.
Qualis ubi erumpit densis è nubibus imber,
Involuens fata læta, gregesquè; intermicat æther
Crebra tonans: mugitquè cavo nemus omne fragore.
Intereà cernunt armenta è montibus altis
Vorticibus ferri undarum (miserabile visu)
Pastores. fugere feræ: fugere volucres.
At si picta novos Thaumantias induit arcus,
Et sol adversa describit fronte colores:
Cœlum continuò ridet; securus in antro
Pastor agit: rediere feræ: rediere volucres.
Orbis honos, atque orbis amor, te vindice, Princeps,
Dedidscit Bellona minas; te pacis alumnum
Accipiunt terræ; tibi virtus militat, & sors.
Te invidia annorum tenuit: tardusquè videris
Plus laturus opis. fasces, fortuna, superbos
Jam submitte; iterum redeunt saturnia regna.
Ducite felices nova secula, ducite fusi.
Simul incipe in tumultus
Lyra ire consonantes;
Novus est canendus heros,
Culmen heros Principum.
Tu quate nablia:
Tu lituos para;
Et dulcisonum miscete chaos,
Tibi cithara, & tibi tibia
Det liquidum melos,
Det lepidos modos;
Et tuba martio
Perstrepat halitu.
O flos Hesperiæ, decusquè nostrum,
Dulce præsidium cadentis ævi,
Te Astrea edidit, ac suas in orbe
Æquales voluit vices habere.

O heros charitum ſinu receptus,
Heroum nitor eminentiorum,
Adſis Auſoniæ bonus, beatus:
Et longè globus exulet malorum.
Jam ſors diſpereat turbida conſili:
Ceſſet Mars ferus:
Pax redeat bona.
Reſerveat canorum
Mage prælium tubarum.
Rurſus agat nos
Rurſus amabilis,
Et obſequens inſania.
Sic tibi neſtoreos Clotho ſuper efferat annos;
Non ego ſequanicæ metuam certamina pugnæ;
Seu conjuratis deſcendas Anglus ab undis;
Inquè ſinu ducet noſtro concordia ſomnos.

GER-

GERMANIA

Excellentissimo Servatori suo trophęum statuit.

DIrcæo licuit vati conducere plectro
Mœnia, & insueto librare per aëra nixu
Auritos scopulos. Germania carmine sisto
Ipsa etiam monumenta Duci, immortale trophæum.
Surgit opus; nec quale Rhodum jactare Colossi,
Fama refers. fert in primis mihi Caucasus ingens
Fundamenta operi. hic vocalis crescere moles
Incipit, æquaturquè adeo contermina cœlo.
Vna ex Herculeis venit columna
Raptu carminis efficacioris.
Sta, tange nubes vertice libero;
Nusquam trophæum nobilius dabis.
Decus, benè est, Heroa monstras
Hesperii, columenquè regni.
Hic pono effigiem GASPARIS arduam,
Quam puro ex adamante
Exculpsit ràdio Delius aureo.
O quàm bellè adamas Guzmaniden refers,
Cui pura fides, nescia flecti.
Dein auro utrumque tempus, atque laurea
Natum imperio prætexo caput,
Musis amicum. Tu soboles Jovis
Clypeata Pallas, dexterum fove latus,
Mars occupa sinistrum;
Vtrumque consonat decus.
Adi pedes, fortuna, nil opibus potes,

Nil

Nil auro: ſimul, & triſtitia, & pavor,
Et quantum ſolita eſt cura pecuniæ
Ferre ſolicitudinum.
Ars, cude Avorum nomina millium,
Quos fama plauſu prædicat alite,
Hìc pendeant litui, hìc tubæ,
Hìc hoſtilia ſigna,
Stillanteſquè cruoribus
Et criſtæ, & clypei vulnere plurimo
Confoſſi; licet orbibus
Orbes implicuit tergeminus chalybs.
At parte ex alia Pax ſibi concolor,
Charites inter mixta, choreas
Ducat amabiles.
Mox copiæ, ac ſomni in ſinum
Deponat madidum lætitia caput.
Nunc quis erectum vetat in trophæum
Dicere carmen?
Carmen hìc omnes, agite, in trophæum
Dicite erectum. ſimul, ipſa vere
Flora queis ornat redeunte crinem,
Spargite flores.
Hæc ego, quæ nulla annorum labente ruina
Exciderint, ſtatuo: ac memori ſub pectore ſervo;
Dum domus Auſtriadûm, gens & fœcunda manebit
Cæſaribus; donec noſtras Leopoldus habenas
Tractet, & immortale nepotibus afferat auctum
Imperium; pedibuſquè terat lunata tyranni
Signa, Suecorumquè canat de gente triumphum.

IN-

INDIA

Ab Excellentissimo Præsidente Concilii sui

Felicissimè sibi cuncta evenire.

POstremum hoc postrema sibi vult India carmen.
India dives opum, statio gratissima Phœbo,
Defessos pelago radios dum mergit; & horis
Abducuntur equi, temoquè revolvitur aureus.
India, odoratis fortunatissima sylvis,
Atque auro, atque omni gemmarum sidere. fas est
Sublimes audire modos, quibus æthera crebrò
Dicitur accendisse; nec est ignobile carmen.
Namque simul magni est olli data copia cantus,
Cæruleis invecta jugalibus, aurea crines,
Aurea chrysolithis fabrè illudentibus ostrum,
Quod fluxum ex humeris morsu religare smaragdi
Ipsa ante ora, placet: superatquè volumine corpus:
Turmatim intereà Nereides hinc glomerantur,
Atque hinc solutæ crinibus;
Cumquè triumphali labuntur in æquore concha,
Concha smaragdis aspera,
Et feriunt, & festo animant cita nablia cantu.
Tum fracta modulis voce minutulis
Dicunt carmina melle molliora;
Et flexuoso gutture liberam
Incidunt animam, implicantquè punctim
Garrula trepidatione.
Mox explicato spiritu
Omnem profundunt. pars repetunt modos,

Suſpenſoquè remurmurant labello
Modos priores, & ſibi verbula
Certatim rapiunt: atque ſonum ſono,
Cantuſquè trudunt cantibus, & moras
Servant ad numerum ſonantiores:
Tequè ferunt, Heros, ad ſidera: qualis amœnos
India componet ſoles, ſomnoſquè beatos
Præſidiis ſecura tuis. Natura furentes
Opponat quàmvis hyemes: licet æquor iniquum
Claudat iter, ſinuoſo occultans obiice terras;
At mens, profundi quam bona conſili
Scatebra ditat, permeat invia
Felix locorum, montiumquè
Celſa ſupervolitat volucri
Penna: nec orbes pallet ad ultimos
Adire, & ipſas oceano abditas
Verſare terras, & novarum
Altiùs inſinuare rerum
Cauſas ſepultas. Mentis inops ruit
Manus gigantum, vellere pertinax
Domos deorum: quò ſerena
Terra parens micet inter aſtra,
Vecors. ter alto vertice Pelion
Premens olympum ſidera contigit.
Rubente ter dextra repulſum
Contudit artifices ruina.
Sed, quæ conſilio ducitur arbitro
Vis temperato læta negotio,
Ridet maris tumultuoſi
Prælia, vel Boreæ minacis,
Inſanientis: dum Notus æmula
Incumbit aura. tunc pelagum rotat
Vertigo, & ingentes timendo
Devorat exitio carinas.

In-

India ter felix, jungens connubia cœlo,
Undè tuis ſerpunt delapſa in fruſtula venis
Sidera, gemmarum varios referentia vultus,
Non, ſi Palladis ægide
Tegaris, aut ſi terrificus Gyas
Centum protendat clypeos, & brachia centum,
Dies affluerent ſereniores:
Quàm facit, nullo violanda caſu,
Otia GASPAR.
Hæc illa avidis, modulante lyra,
Canebat auris: cum citò mollia
Pæan palladius carmina diſpulit;
Et ſimul reboat, ſonatquè lætum:
Io, io triumphe,
Io, dicite millies, triumphe.
Ut fatalis ab inclyta
Alcidæ leo dextera
Agrorum cecidit metus;
Sic terror error ingeni,
Stratus Palladis arcubus,
Occidit, occidit.
Io, io triumphe,
Io, dicite millies, triumphe.

Super D. Ioannis Baptistæ cæde Galliambus.

VElut aspra montis errans agili pede rabida,
Imitata fluctuantis pelagi indomitam animam,
Evohe superba clamans, evohe nemorivaga,
Cumulante rabiem acutam in præcordia Bromio,
Truculenta Mænas. hoc, hoc Herodias animo
Cypridis agitata flammis, thalamiquè sceleribus,
Præceps rapitur in iras, secum excidium agitans
Violata non ferentis connubia, Venerem
Incestam, & ipsa legum probra conjugalium.
Et jam furore vultus variata muliebri,
Huc, huc, adeste, dixit, furiæ stygis. agite,
Afferte concolores odio faces meo,
Quibus aula conflagrabit: cineresquè priùs ego
Mecum avebam, pudendo quàm hinc deiicere probro
Me gaudeat aliquis. Quod manet impudentius
Regina probrum? ut agro, & scopulis malè genitus,
Terror nemorum, & agresti circumdatus pilo,
Barbatus, horridusquè ut nostro impudens struat
Tot machinas amori? dabis & citò meritas
Pœnas, lues, sepulcrum, pestis, fera, furia.
Hæc secum ululat, & ira simul, & Venere flagrat.
Iamquè aula destinatas Solymis dabat epulas
Proceribus; enim tyranno revoluta repetitur
Natalis hora. ridet redimita sericis,
Redolensquè vere passim festiva domus; & hàc,
Illac vagatur aër, refluens sonoribus.
Manus atria famularis tenet, obsequio adhibens
Nitidæ ordinem juventæ. vacat ædibus alacris
Conviva: stragulisquè ingenio, & benè saturis
Auro incubat supinus, laquearia radios

Mix-

Mixtim evomunt diei . discumbitur . epulas
Rutilum excipit falernum : vesania bibitur.
Jubet Euhyus choreas : jubet & pede quatere
Sola dura comminutis animata lapidibus.
Hic tum puella molli è penetralibus gradu,
Flavum implicita capillum, viridantibus Erythræ
Digitos nitens lapillis, & murice tyrio
Satis affabrè erudito phrygiis laboribus,
Aderat : oculosquè vertit procerum sibi nitida.
Venerata prima Regem, Solymosquè nobiles,
Sola incipit tenello choream pede regere:
Veneresquè simul, & ipsæ colludere Charites:
Modò passibus remissis metitur aream :
Subitumquè refluentes cita complicans fugas,
Orbem interim priorem gyro explicat alio,
Modò negligens relaxat, relegitquè cursibus
Vaga rite concitatis numero additum impetum.
Hàc destinat moveri : flexuquè retrogrado
Hàc denegat moveri mendaciter agilis.
Tum carpit imminutis asarota digitulis:
Spatiove punctim eodem instabilis tripudiat:
Eademquè semivivis trepidationibus
Requiescit inquietum, gyroquè sæpiùs
Se ductili coronat pede nixa in altero.
Hilaris corona plaudit; plus additur animi.
Heu lacrymanda demum solatia . heu cui
Hic flebit apparatus ? magnum obruet caput,
Sed non inultum. imago quàm sœva facinoris!
Vos cedite, ò Sorores, hinc, Castalides. ohe
Satis est : repetite Pindum. furiis libentiùs
Partem hanc date memorandam . tanto cruore mens
Mea non caleat. Erinnys scelus in scelere canat.

AD AMICVM PHILOSOPHVM

De Τὸ, & Ly

Τεχνοπαίγνιον

NOn hercle illepidus, neque invenustus,
Quòd Τὸ palladiis frequens tabellis
Scribam, nare tumultuas procaci,
Fellitoquè hilaras jocum cachinno.
Non enim scabies novella prurit,
Fabam cudere ludicram sodali:
Quippe mantica, quam piget tueri,
A tergo est vitiis referta nostris.
Sed quid hoc? ita displicent Athenæ?
Sic, quæ vox olet Atticam, relaxat
Bilem: ut ne piperata dicta linguæ
Ullo contineas modo, jocove?
O digrammaton exterum, ò misellum
Τὸ, cui syllaba tot facessit una
Cavillosquè, salesquè, nauseasquè,
Notas, i, pete porticus, stoasquè;
Nam Roma, & Latium omne ἐβαρβαρώθη:
Nec nitor nitet ore Tullianus:
Nec loqui juvat ore nos rotundo.
Sed tu, qui indigitas meas tabellas,
Tuos exere, quæso, codicillos,
Sesamo irriguos beatiore.
Papæ quàm sonat elegans in aures,
Quæ buccas replet, & replet papyros,
Vox è Pacuvii penu refossa,
Vocis quisquiliæ inficetioris,
Blattæ relliquiæ voracioris,

Lin-

Linguæ rudera prisca consepultæ,
Ly, cujus vetulum Accium puderet.
Attellana, vetusta, nota lippis,
Et tonsoribus est locutuleiis
Fabella. Aëriæ feris volucres
Dum pugnant validis; periculosam
Noctua exiit aleam; quòd alæ
Tesseram volucri, feræquè dentis
Dabat vafrè, epicœna belluarum,
Volùcri volucris, feræ ferina.
Si bellum Latio inferant Athenæ,
Ly esset noctua fœda literarum:
Quæ non vocula, sed chimæra vocum,
Et græcum sonat ypsilon, nec ullis
Est donata politulis Athenis;
Idemquè Ausoniæ sinu receptum
L, sonat sibi discolor latinum.
J ergo, & τὸ meum probro lacesse:
Clama audax ly, ly, centies in horas:
Nec græcum juvet esse, nec latinum;
Næ tu fabula literatiorum,
Dicèris dare noctuas Athenis.

P. ANTONIO ARDIA SOCIETATIS JESU

In D. Francisci Guglielmini Nepotis ex sorore obitu.

IS tam claro, prestantiquè loco natus, dum, recurrẽtibus Servatoris nostri decembribus Natalitiis, natales ipsius cunas cum suis æqualibus sua in domo celebrat minore scena, apoplexi inter agendum percussus, repentè, funere nimis plus præcoci, decennis puer extinguitur. sed quò minor, imò nullus puero: hòc major, imò summus parentibus tã acerbi funeris sensus fuit, quippe præterquam quod filius, gerebat vel hac ipsa primula ætate magnos spiritus, & ad præclarissimã indolẽ adolescebat. pietati tamen videbatur adultus. præcipuè Deiparã Virginẽ beatissimã ab incunabulis ipsis, & inter ipsa incunabula eum in modum amabat, observabatquè, ut augustam ejus iconem, non modò aperto capite, sed etiã flexo genu, strato etiam humi ore præter eam gradiens, veneraretur hinc facilè dignus, quem divina Parens raptum adeo tempestivè voluerit: ne pios sensus, animumquè purum sceleris ætas, opes, juvenilis aliquando licentia inquinaret.

LUdunt, ANTONI, nos fata volentia ludunt:
Et nostra incerto semper sub judice lux est.
Vivimus exiguo miseri: diuturnaquè frustrà
Ignari rerum molimur tempora vitæ.
Nunc age, & ipse animum curis mordacibus ægrum
Hic

Hìc mecum depone (haud aspernaris amorem,
Credo equidem, officiumquè meum) si muneris ulla
Parte vacas: si sacra potes pro tempore rostra
Exiguo fraudare; aures communibus istis
Da intentas lacrymis, animumquè his questibus adde.
Nulla ergò est pietas suavi ævo? dulcibus annis
Nullus honor? stamenquè licet præcidere dura
Forfice vix ductum, vacuosquè abrumpere fusos?
Proh dolor! egregias animas lævo omine terræ
Accipiunt, redduntquè simul. vix gaudia surgunt:
Et subeunt lacrymæ: brevia & solatia longus
Compensat luctus: verguntquè in funera cunæ.
Ipse reor, partim madido te lumine, sicco
Lumine te partim spectasse injusta Nepotis
Funera lactentis: stragem spectasse virentum
Annorum, vixquè inceptæ dispendia vitæ.
Et fortis fuit hoc animi; nec non fuit illud
Humani atque etiam. quis enim, nisi robore natus
Alpino, aut tygridis toleratus ad ubera, fletum
Abstineat, rapidumquè premat sub corde dolorem;
Cernat ubi cædem immeritam, casumquè supremum
Surgentis spes in magnas, proavosquè parantis
Vincere sublimes, palmisquè attexere palmas?
Ipse quidem felix, mortem qui sustinet infans
Infanti nascente Deo: qui desinit auras
Vitales, ubi vitales Deus incipit auras
Carpere: formosumquè diem ad præsepia condit.
Namque ubi pastorem dabat illum scena, tonanti
Munera laturum Puero gratissima; vivos
Ecce autem obstruxit lethalis gutta meatus,
Et parvam improviso extinxit funere lucem.
Ille, inquam, felix, neque nostris fletibus ultra
Urgendus, niveas qui augens supero orbe phalanges,
Immixtus sequitur fulgentem æqualibus Agnum.

Imò

Imò etiam Regina Deûm, cognata pudoris
Virginei cultos, & mater simplicis ævi,
Ipsa sinu fovet exceptum non immemor, ut se
Vix natus coluit: vix infans, Tu mea, dixit,
Mater ades. tibi sunt nostræ primordia vitæ:
Et tibi erunt vitæ momenta vel ultima nostræ.
Quæ tecum reputans generosus avunculus, imbrem
Decussisti oculis, animumquè ad gaudia flectis.
Quanquam te ingenio, te ævo, te ingentibus orsis
Florentem video; quanquam suggesta reposcunt
Jamdudum te oratorem, populiquè sequacis
Et plausus, & grande sophos, & prima per urbes
Promittunt pretia eloquii, mentisquè profundæ;
Atria quanquam etiam non dum pacata Lycei
Expectant rerum causas, puroſquè magistrum
Clarantem veri latices, puteoquè repostum
Alto expiscantem; (respondent omnia voto,
In quamcunque bonus mavis te mittere partem)
At graviora animus curis meditatur in istis:
Et majora paras. non fluxo captus honore,
Non alio quocunque, brevem scis temnere laudem,
Temnere scis nomen periturum, auramquè caducam.
Heu quid solicitas longè jaculamur in ævum
Spes adeò; si nostra velut disperditur auris
Vita vapor: fluvioquè fluit velocior ipso?
Nec tantùm velox, quantùm præpostera, quantùm
Inspetata venit, decretaquè finis ab alto.
Vidimus, immixtam ludo ad proscenia mortem
Prodisse, ac mœsto soccos mutasse cothurno.
Vidimus, ut circumfuso Libitina theatro,
Parvam animam secum abripiens, en plaudite, dixit;
Fabula supremum vitæ jam protulit actum,
Vix exorsa. ò Mortales, hoc discite tandem
Ex puero: Nulla incerti non funeris hora est.

Hic

Hic ſtupor, hic lacrymæ, crebra hic ſuſpiria, clamor,
Undique turbatur ſpatioſa per atria. præſens
Quæritur auxilium; ſed nullum avertere peſtem
Eſt operæ, aut artis pretium. tenet atra medullas,
Inſinuata lues, miſſumquè in viſcera virus.
Undè aliquis funus ſecum miſeratus acerbum,
Et clari generis ſolatia rapta, decuſquè
Non tenue in tenui ſublatum flore juventæ,
Multa gemens, fatum, & parcas incuſat iniquas.
Ipſe quidem oblitus, quo creti pulvere, nobis
Immortalem animum viva geſtamus in urna.
Aſſyrii regnator agri dum nocte quietem
Carpebat placidam, curaſquè domabat in oſtro;
Viſum olli ſimulacrum ingens per ſomnia: quantum
Terrigenam æquaret porrecta fronte gigantem.
Sta t caput ex auro fuſum: ſtant pectora latè,
Stant ex argento pariter terga ampla, lacertiquè.
Æreus hinc venter, femora ærea. tibia ferro
Utraque dureſcit rigido. pes fictilis, atque
Ferreus, & limo partim, partimquè metallo
Confuſum ducebat opus. ſic æquore monſtrum
Tollitur immenſum, cœloquè minatur, & aſtris.
Sponte jugo avulſum mittit ſe calculus ecce
Cum ſubitò: & magno diſcordes agmine plantas
Pulſatas conquaſſat humo. ruit ardua moles
Intereà; atque ſimul ſimili diſperſa ruina,
Æs, aurum, argentumquè, chalybſquè, & teſta, favillæ
In morem, quàmvis immenſi corporis ipſa
Relliquiæ ingentes, fugiunt reſoluta per auras:
Et nulla in toto ſuperant veſtigia campo.
Hæc eſt, hæc vitæ raptim labentis imago:
Hæc noſtri ſimulacra ortus, caſuſquè propinqui.
Nempe hominem inter ſe formant pugnantia rerum
Argumenta ſimul: formidatumquè coloſſum

Ne-

Nequicquam attollunt certare volucribus annis.
Illa sibi non conveniunt firmata tenaci
Fœdere compagem in solidam. nam spiritus acer,
Ferreaquè est animi vis immortalis: at ipso
Plus limo, testaquè sua dispatet inane
Corpus, & assiduè populatur edacibus annis;
Undè opus enervum, & quovis superabile fluctu.
Ergò quis præceps adeo stimulat furor? ecquæ
Invertit tam dira hominum dementia mentes:
Aggestas ut opes libeat, censusquè superbos,
Atque usque ad summum sublata palatia olympum
Tam dubio fundare solo? quin sidera nostris
Subiicimus curis, cœloquè incumbimus alto?
Hæc ego dum mecum memoro: de pegmate sacro
Tu majora tonas. lacrymas, justumquè dolorem,
Cui decet impendisse, & quos plorare necesse est
Extremos casus, indignaquè funera monstras.
Et monstras infandum illum luctumquè, diemquè,
Quo quondam omnipotens defecti Conditor orbis,
Servilem indutus faciem, cruciatibus ultro
Se dedit horrificis: se flagro scindere corpus,
Et ferro vi auferre animam dedit; undè trabali
De cruce profudit fuso cum sanguine vitam.
Hæc scena majore agitas, oculisquè frequentis
Supponis populi: atque tuo das cernere in ore.
Hinc mixti inter se fletus Diûumquè, hominumquè,
Communes & mœrores; laus lacryma magna est
Vndè tua: & tua in hoc vivet diu funere fama.

EMI-

EMINENTISS, AC REVERENDISS.

D. F. D. RAPHAELI COTONER

Magno Magiſtro Equitum Hieroſolymitanorum, Melitæ, & Gauli Principi

EQVITES PRIORATVS CAPVÆ

QVod gratiſſimum Superis,concors votis omnium, & abundè noſtro Ordini glorioſum factum eſt nuper, ut in Magnum Magiſtrum adlegeret Te una vox omnium, & lætati quàm maximè ſumus, & , quæ licuit, dedimus orbi terrarum lætitiæ documenta . nunc verò nobis ipſis conſilium eſt, quos plauſus, obſequioſiſſimi indices animi, Prioratus noſter expreſſit, Tibi ſiſtere:quandoquidem nobiſcum agitur feliciſſimè, qui adulantium notam ſic evadimus, ut ne leviſſimam quidem timeamus . exornaris enim ita, ut exornatorem tuum magis ornes ipſe, majoriquè laudi ſis laudibus tuis:quas ipſas dum Te minores arguis, dignas Te probas. Et ſanè quod vix in alio uſpiam, nunc miramur illud in Duce noſtro, quem ingens Fortuna non fecit maximum, ſed invenit:ut illa ex Te, non Tu ex illa prædiceris. tamen non reſpeximus famam, ne decora extenuaremus;quippe quàmvis illa infinita ſit in laudibus tuis:quantus es omnino,non dicit;quia experta jam diu eſt, nec poſſe. Et fuiſti tantus etſi à Principatu diſtares ; Te tamen probaſti maximum: ubi faſtigio non incubas;hòc planè dignior,qui imperares, quò minus

nus lætabatis imperaturus. nempe traheris ad gloriæ culmen, non duceris; quamvis ad gloriosè facta non ducereris, sed curreres: quo docuisti, semper Tibi virtutem placuisse, unius mercede virtutis. utinam calcarent signatum iter ad imperium reliqui, quod iis non in spe esset, sed quasi in metu: ut ad illud ipsum non pervenirent avidi, sed veluti fastidientes offenderent. Ergò fuit nobis gaudendum pro Te, Tibiquè unicè lætandum lætitia nostra: ut reciproca quadam jactatione gaudiorum Tu nobis, nos Tibi lætaremur: quod maximè decet eum Principem, qui amatur vel Princeps: quippe se gerit majorem aliis, non ut his antecellat, sed ut prosit. Atqui præcipimus jam animo aureos dies Ordini, totiquè Christianæ reipublicæ futuros; & tam certò præcipimus, ut etiam fruamur. injuriosum esset virtuti tuæ, sperare meliora, in qua vel nunc tenemus optima. profectò expetit felicitas omnium omen, & momentum ex Te: quandoquidem eo ferme tempore, quo magni Reges in sanctissimæ pacis fœdera jurabant, Tu Magnus diceberis Magister, publicam felicitatem cumulaturus. quapropter testatissimum jam est ad orbis terrarum fortunam, incolumitatemquè Te advocatum ex parte: & felicissimam tantorum planetarum concursionem pessimè Orienti protendere. Huc illud spectat, quòd ad primum rei rumorem cohiberi non potuit, quin erumperet domesticorum, alienorũquè gratulatio, quæ sic mixta doceret, nobis unis Principem datum, servatorem omnibus. patuere illico templa ad actiones gratiarum immortales, confluentibus undequaque nobilissimis omnium; quasi nemo esset, qui nollet, suffragio suo iterum adlegere adlectum jam Principem, Superisquè testari, deberi Te Superis. itaque Tibi penè lapso de cœlo una congruebat, quæ sub Divorum ædibus ante aras eorundem celebratio fieret. Iuimus in ornamenta, sed quæ

tui

tui nominis majestas longè superaret. induti textili auro parietes: intecta elaborato serico laquearia: oneratæ solido argento aræ: dati ad immensam lætitiam concẽtus: inscripta tuis gestis atria: omnia in pretium, ac majestatem versa; sic tamen ut, quamvis ista quivis suspiceeret, item nemo quasi Te minora non æstimaret. dictus & hic fuisti de suggestu, oratorquè adhibitus maximo maximus, qui fateretur, unum fuisse sibi difficillimum, laudum tuarum exitum reperire. Sed ne una dies immortalis lætitiæ sorberet documenta (quod nostrum privatum obsequium fuit) laudationes tuas, quà pro cõcione perstrictas, quà lectoribus propositas de scripto, prælo in posteritatis commodum ipsi mandavimus. nempe voluit rhetorum officina excudere aliquid, ne sola torperet: duxitquè pompam Tibi ascendenti ad Capitolium. non defuissent, quas produceret clarissimas Majorum imagines; sed piguit istarum: ubi tua virtus nobiliora dabat spectacula. accedis enim Ipse, ingens Avis auctarium, eisquè plus gloriæ reddis unus, quàm unus à pluribus accipis. ergò placuit distribuere mores tuos; utquè totum inspiceremus Te, libuit contemplari per partes, quò nimirum impleres oculos, non obrueres. quanquam haud licuit ad vivum exprimere; noster enim mortalis est color. itum tamen nunc est in rudimenta. finget absolutas imagines æternitas, nomini tuo nulla ex parte defutura. intereà æquus, bonusquè accipe munia isthæc qualiacunque mentis officiosissimæ. si minus est obsequio annuendum: annue obsequentibus; dum plurimos, & felicissimos Tibi annos, pacatissimumquè imperium benè precamur. Vale Tu demum: nos plaudimus.

F. D.

F. D. RAPHAEL COTONER

Magnus Magiſter Equitum Hieroſolymitanorum creatur.

Ondixere tandem ſidera votis noſtris.
Puduit reprehendi fata tarditatis ampliùs:
Et in Eminentiſſimum Melitæ Principem,
Aliquandiu dilatum, negatum nunquam,
F. D. RAPHAELEM COTONER magnis avibus evexe-
Quanquam evectus ipſe excuſat fatorum moras: (re.
Cum nunquam tempeſtiva darent,
Quod decus etſi citiſſimè datũ, sẽper merito reddidiſsẽt
Comperendinavit fortuna aliquantulum,
Ut orbe ſuffragante magni Principis virtuti,
Domeſticus calculus in externi cumulum adderetur.
Hinc non imperat improviſus, ſed expectatus,
Et ex deſiderio potius omnium, quàm ſpe;
Quippe injuria tantæ virtutis fuiſſet,
Sperare faſtigium,
Quod tempori ſolùm erat futurum.
Quare ne gratulemur vetera,
Nihil meritum gratulamur.
Cæterùm hoc eſt maximè laudandũ in novo Principe,
Quòd una laus nova eſt, in maximũ ingredi Principatũ:
Perantiqua, meruiſſe.

A D

POMPA

Eminentiss. ac Rev. Dño

F. D. RAPHAELI

COTONER,

Quòd is Magnus Magister Equitum
Hierosolymitanorum renunciatus fuerit, Ducta ab Equitibus Prioratus
Capuæ

Neapoli.

D d A D

AD MELITAM

Pompæ Theatrum.

Melite,
Mortalitatem excussisti nunc demum;
Triumpha.
Humana, ut est in fatis, sic rotantur,
Ut sit prope magnitudinem lapsus:
Prope lapsum magnitudo.
Sed Tibi magna cedunt in maxima,
Et felicitatis calcem major terit sub calce felicitas.
Fortunatos tu duces, strenuos, undequaq; absolutissimos
Fuisset sũma votorũ prioribus parẽ dare. (obtinueras.
Superavit tamen spes, ac vota Cœlum;
Et dissimilem das majoribus;
Quia majoribus sufficis maximum. (PHAELI,
Non licebat in clarissima prosapia vivere obscuro RA-
Cujus Majores, libertate Balearibus asserta,
Quingentos ante annos sub Iacobi regis auspiciis impe.
Genus tamen illi unũ est decus, nõ unicũ, (raverãt.
Laborante Fama,
Tantam ipsa virtutẽ non ut augeat: sed ne minuat.
Ergò para te Eminentissimo Duci tuo in Theatrum;
Dum nos posituri hæc minima quà grati,
Quà obsequiosi, monumenta,
Aut imbecilles excusabimur, aut amabimur amãtes.

MELITÆ

Ad novæ Pompæ ſpectaculum geſtientis Proſopopœja.

ERgò immerentem ſume ferociam:
Tumeſce pectus. jam Polus annuit,
Noſtriſquè, Virtutiſquè votis;
Jnquè meas RAPHAEL cohortes
Regnum capeſſit. Stamina priſtinis
Mutate parcis: furuaquè temporum
Iam fila ceſſent: lætiores
Goſſypium mihi nectat horas.
Hæc nempe noſtrum teſſera Principem,
Hæc noſtra ſignant fata; nitentibus
Sæcla hinc quadrigis: hinc dierum
Candidior remeabit ordo.
Aſt ægra Thracum luna trementibus
Præclara cernet ſtemmata cornibus:
Suoquè deturbata cœlo,
Perpetuam geret ore noctem.
Illum ſub alta nube modeſtiæ
Diu latentem Gloria ſuſtulit:
Deditquè certatim videndum
Sideribus, cupidoquè cœlo.
Sperare tantam lucis adoream
Voto trementi non benè credula
Vix poſſe rebar. nunc repoſtis
Sors precibus, taciriſquè ceſſit;
Dixitquè fauſta voce Dieſpiter:
Aſſurge, Princeps Inſula; ſol tibi
Solem reducit, qui cruentam
Odryſiam dabit ire lunam.

BA-

BALEARES INSVLÆ,

In quibus Excell. Familia COTONER exordia duxit, Pompæ præcinunt.

IO triumphe. ò Cyclades advenæ,
O fluctuantes æquoris insulæ,
Io triumphe. nunc deceret
Mobilibus renovare saxis
Summo choreas æquore. Tu Rhodos,
Tu Creta nostro plaudite sanguini,
Qui Thracias sternet phalangas,
Collaquè servitio levabit.
Io vicissim concava montium
Reddunt honoro murmure: concinunt
Io triumphe. COTONERO
Fama tubis sonat orbe centum.
Et vos triumpho plaudite, nobile
Par insularum, Patria principum,
Gaulosquè, Meliteque, vobis
Pompa Ducem canit invidendum.
Hic Barbarorum vim malè conditam,
Discordiarum cæde inamabili
Insanientem, franget armis,
Bistoniæ generosus oræ
Vltro inferendis. barbara jam Thetis
Timens trophæum reddere, lacrymas
Dedit frequentes, indolensquè,
Cui mea sceptra ruunt, tot annos
Regnata dixit? proh dolor! ibimus,
Despecta magnis præda furoribus

Furentis hostis: ibimus mox
Colla jugo famulo daturæ.
Et destinatas imperio manus
Servire cogent fata ferocia.
Quid vagienti juvit auro
Soli habiles onerasse cunas,
Parens diei: si nihil urgeo
Ad mitioris sidera consili
Momenta? vincat ille, vincat;
Nos domina famulemur unda.

IMAGO PRIMA

Fortitudo.

Adeste nostro sæcula carmini
Exacta testes. nulla rapacitas
Potest dierum, oblivione
Radere opus meritò loquendum
Nepotibus. Vos, vos ego (parcite
Umbræ feroces) è tumulis voco,
Qui turpe Maurorum secundo
Servitium repulistis ausu.
Fundæ juventus verbere tortili
Fidebat atrox: jus Balearium
Quod est vetustum. at Maurus arcu,
Et melior celeri sagitta
Frustra viriles, contudit impetus,
Mersans frequenti funere mœnia,
Non Icari tumultuoso
Mollior æquore, non leæna
Gnatis ademptis mitior. At lues

Delicta sævi, Barbare, consili;
Gens quippe COTONERA solvet
Imperio patriam superbo.
Inauspicatos Christiadùm manu
Pulsabit hostes. occidit, occidit
Tumor subactus, & cruentum
Supplicium per acuta belli
Orco dederunt agmina lurido
Devota. Fortes pignora fortium
Creantur; & procera pinus
Non humiles pariet genistas.
Sic ortus altis nempe parentibus,
Addes triumphos, ò RAPHAEL, tuos,
Thracem catenatum; iste quàmvis
Missilibus valeat sagittis.
Iam pallet Eos barbara: jam tuis
Sinum relaxant hospita classibus
Abydos hinc, hinc Sestos, arcto
Quas spatium crepitantis undæ
Freto modestè dividit; ah mora
Idem maritis longior æstibus,
Queis jam flagrabat, cum vetaret
Unda vias animo volenti,
Gemellus ignis. quid Cyprio tamen
Obstet furori? si Oceanum mare
Opponis: audet, despicitquè
Consilium melioris horæ.

IMAGO SECVNDA

Liberalitas.

QVi liberalitatis fila, moresquè videre cupit,
RAPHAELEM videat.
Unus illi à teneris amor fuit,
Prodesse omnibus:
Vt nullum unquam perdiderit diem.
Beneficia nulla non ponit beneficus;
Contra atque illi,
A quibus cum precibus extorquetur gratia,
Malefici conferunt beneficium.
Hic sibi prius deesset, quàm suis,
Qui Suis vivit, non sibi:
Quod maximorum solenne est Principum,
Cum ad propriã æquè famam, atq; ad alienam felicitatẽ
Et is RAPHAEL adhuc privatus. (nascantur.
Decuit tamen aliquando privatum exuere:
Quò maximè dignosceretur,
Non additam ipsi ex magna fortuna liberalitatem,
Sed argumenta solùm liberalitatis mutata.
Quid ergò mirũ est, adeo in ejus laudes famã incũbere,
Quæ liberalem Principem laudatura,
Nunquam potest esse prodiga in laudes?

IMA-

IMAGO TERTIA

Iustitia.

Astræa, jam dudum hospita siderum,
Descende cœlo, desine Scorpion
Fœtum veneno hinc, hinc timere
Ora sagittiferi Leonis.
Terras quid ultra flagitii memor
Lævo minaris sidere: Iapeti
Ex quo cruenta gens per omnes
Ire vias scelerum paravit?
Iam desuescunt sæcula crimini,
Minusquè culpæ solicitæ licet:
Iamquè orbis actus in priores
Innocuus remeavit artes.
Bellona campo cessit: oloribus
Jnvecta, cornu Copia plenior
Per vasta camporum vagatur:
Vomeribusquè jubet retortis
Liquare ferrum. Sequana miscuit
Bæti serenum flumen; & Austria
Utrumque tempus liliorum
Vere sub ostrifero renidet.
Ite, ite amores, & Venus, & joci,
Et Gratiarum nodus amabilis,
Jmplete regium cubile,
Jndigetes solio daturum
Latè imperantes. Iungite vos quoque
Reges timendi (Iustitiæ hoc placet)
Viresquè, cognatasquè turmas

Thra-

Thracis in exitium Tyranni.
Hoc destinabant sidera; vos ubi
Dextras daretis. tunc simul anxia
Dixere: Nunc, nunc COTONERVS
Sithoniis gravis usque castris
Regnet futurus, qui auxiliaribus
Regum timendorum æquora copiis
In fræna ducat Axena, auctus
Arbitrio meliore fati:
Qui, si quis orbis moribus improbis
Æquo rebellat (sive diem lavit
Vnda obstetrice, sive nigro
Ore refert sine luce lucem)
Submittet armis, Erigone, tuis.
Audin? Olympus læuùm hilaris tonat.
Texuntquè Parcæ concolores
Sæcula nobiliore filo.

IMA

IMAGO QVARTA

Clementia.

ET hic magni Principis titulus eſt,
Miſereri.
Feritas dedecet hominem;
At Principem infamat.
Qui nunquam ſubiectis parcit, damnat ſeſe,
Illis pœnam decernens, infamiam ſibi.
Ducem noſtrum ipſa lactavit Clementia,
Ipſa eduxit.
Diſplicent ipſi ſcelera, non ſceleſti;
Et illa ſic punit, ut his conſulat.
Ne morum quidem cenſor paſſus jnvidiam eſt.
Nempe iſtos hauſit de cœlo mores,
Cujus plus ſunt terrori fulmina, quàm damno,
Quaſi, quæ imponit vulnera, doliturum.
Diſcant ab RAPHAELE Neroniani Principes:
Clementia unis ipſis apprime facta, ſi deſit;
Principatum non poſſidere, ſed tyrannidem.
Et dum ſemper iraſcuntur, nulli placantur:
Illud neceſſariò evenire,
Ut ipſos illos timeant, quos terrent.

IMA-

IMAGO QVINTA

Constantia.

Cui pectus solidis ex adamantibus,
Armaturquè gravi consilio ; licet
Ornamenta December
Sylvis decutiat comæ:
Aut primum referat ver nemus: horrida
Æstas urat agros: aut glacient aquas
Reflantes Aquilones:
Fallit si Agricolam seges,
Si rumpunt segetes horrea Gargari:
Pax, seu terrificis Mars valeat minis;
Æqua fronte renidet
Inter solicitos metus,
Et spes consilii carnifices mali.
Pinu nauta secat præfragili salum: &
Myrtoum mare turbet
Tangens sidera gurgite;
Ventis ille metus dividet anxios:
Nulliusquè fodit cura periculi,
Qui mentem gerit æquam
Fati morsibus invidi.
Auctus laude nova, sume superbiam
Quæsitam meritis, ò RAPHAEL, tuis.
Gaude moribus altis,
Alti progenies poli.
Te virtus super hinc ardua montium
Evexit propiùs sidera, sidere
Fulgens non alieno,
Ostro qui radias tuo.

Sub

Sub te cœca vides, currere fulmina
Dejectum Rhodopen, atque Ceraunia:
Iratumquè catinis
Neptunum vada vertere;
Et Mortalibus est quidquid atrox, ferum,
Tuta mente vides. hinc mare ferveat,
Vis hinc multà Aquilonis,
Rupto carcere, fraxinos
Annosas quatiat: nempe ferocior,
Infractusve malis obvius anxiis,
Vultu semper eodem
Imperterritus aspicis,
Et quæ fors dubio læta negotio,
Et quæ fata movent, numina cordibus
Formidata profanis,
Turbæ desipientium.

IMAGO SEXTA

Temperantia.

VIro ad publicam felicitatem nato,
Advectoquè in maximum imperium,
Modica laus est,
Non servire mortalitati.
Trahimus homines divinæ auræ particulam aliquam;
RAPHAELEM crediderim divinos spiritus hausisse,
Qui veluti secretus ab eo, quo fingimur, luto,
Se propè divinum probat:
Cum mortalibus non fruitur, vix utitur rebus.
Quid jactant stoicorum sensus lycea,
Qui, ut hominem induant, exuunt humanitatem?

Est

Eſt hìc majus aliquid,
Voluptas moderata:
Qualis deceat Principem,
Qui cum omnibus affluat,
Modo non caret.
Adeo verum eſt robuſtioris eſſe virtutis
Vincere vitium, quod fugas,
Quàm idem ipſum ſuperare, quod fugis.

IMAGO SEPTIMA

Religio.

QUem temperato provehit impetu
Virtus ruinæ neſcia: ſiderum
Serenus hoſpes auſpicatos
Ille dies agit, otiumquè.
Candens veretur fulmen in impios
Cœlo Tonantis. Relligio vetat
Mores ſuperbos, at potenti
Numine fert animos minores.
Tu quòd modeſtum te geris, imperas,
Invicte. cœptis te ſuperi admovent
Majoribus, quos ſæpè placas
Ture pio, ſcelerumquè noxa.
Amicus aſtris, innumerabili
Irrumpat Eurus milite, riſeris
Inconditos dives tumultus
Præſidio dominantis axe.
Impunè nunquam ſideribus nefas,
(Nefas, ruinæ quod tumulant ſuæ)
Auſum eſt; rubentis ſed coruſca

Te-

Tela manus docuere, quantùm
Tellus superno distat ab æthere.
Hæc eruditus, Baltasar, improbos
Doces abundè, qui protervo
Templa supercilio profanas,
Conviva turpis. Quis furor impulit
Miscere sanctis impia? non erat
Collecta in hos usus supellex,
Sacrificæ decor unus aræ.
An hæc falernum fundere commoda
Regale credis pocula? faucibus
Hauri liquorem, temperandum
Sulfurea Phlegetontis unda.
Vides? an isthæc somnia cogitas.
Mentem Lyeo ludere? luderis
Profane: & hic tibi character
Fatidico revolavit axe.
I nunc, cruentam versa animam; vome
Non temperatam more superbiam;
Depone sceptrum, posterosquè
Baltasar erudiat peremptus.

IMA-

IMAGO OCTAVA.

Prudentia.

CLaudit,ducitq; virtutū omnium agmen Prudentia,
Quæ sic virtutibus cæteris imperat,
Ut unos maximè deceat imperaturos.
Tamen quantus prudentia RAPHAEL eminuerit,
Ignorare solùm posset imprudens.
Sive toga, sive sagò, belli, domiquè præclarus,
Eodem semper altissimæ mentis affuit consilio.
Ascito in supremum Ordinis Senatum,
Sententia fuit in oraculum,
Sapientia in admirationem.
Privatis ne tactus quidem affectibus,
Amore verò rei publicæ etiam actus,
Mentem adeo servavit integram,
Ut nunquam abnormis ageret,
Qui semper rationis normam sectaretur.
Nunquam non oculatissimus,
Qui,quod deceret,& ob oculos,& in oculis haberet sēp.
Quid ergo è re magis decrevissent Superi,
Quam cooptare in Magnum Magistrum,
Ex quo magni Principes discerent
Exemplis potiùs, quàm documentis depictam
Prudentiam?

AD

AD EUNDEM EMINENTISSIMUM

F. D. RAPHAELEM COTONER

Rhodus, aliæquè Hellesponti Insulæ, quæ sub Magni Magistri ditione olim fuerunt.

Quæ maris Ægæi tellus, quæve optima quondam
 Tellus, Carpathii gloria prima maris,
Et Regina, salo multos dominata per annos,
 Credita magnanimûm regia clara Ducum,
Tu Rhodus, ò lacrymas! quid felix nunc tua prædo
 Colla triumphali jure superba premit?
Quò rapior? veterum annales ne ferre laborum
 Musa jube, taceat fata tacenda fides.
Scilicet infregit muros, arcesquè Tyrannus:
 Ast animos idem frangere non potuit.
Et datus, exhaustusquè cruor. Sunt & sua victo
 Funera, victoriquè. arsit utrinque rogus.
Nil stetit impunè. ad funus via funere facta est:
 Vulnera vulneribus censa, cruore cruor.
Ascensum in muros dant strata cadavera; quamquè
 Thrax in tecta jacit, fax ea rapta rogo est.
Ut propiùs fuerint hi, qui vicere, periclo;
 Ac tumulaturus, qui tumulandus, erat.
Si flevit Rhodus, Odrysiæ haud risere phalanges:
 Emptaquè regnorum funere palma fuit.
Urbis in excidium Nabathæum transtulit orbem
 Barbarus, & mundo milite bella dedit.
Texerat infinita (nec est satis) æquora classis:

Et ſtetit in medio bellica ſylva mari.
Non ſecus irarum in pretium ſi cederet orbis:
Regna forent rurſus ſi rapienda Iovi.
Protrahitur tamen illa diu ſors ultima pugnæ:
Urbs orbis potuit ſuſtinuiſſe minas.
Damnavitquè moras victor, lentamquè ruinam:
Et vinci, qui ſic vinceret, edidicit.
Non fati, fortiſquè pudet. fuit utile perdi:
Quandoquidem tantis laudibus occidimus.
Felices animæ, quarum iſta eſt ſanguine nobis
Ardua ad innumeros gloria parta dies.
Quiſquis erat veſtrum, cecidit ſi victus: & ultus;
Vnaquè non una nex nece digna fuit.
Jte per Elyſios, non quos dat Græcia, campos:
Alta manent animas ſidera ſidereas.
Jte: etenim veſtro via vos fert rubra cruore;
Nam quæ lacte nitet, dedecet illa viros.
Hic poſitis ſecuri armis, hìc divite cenſu
Factorum, caſus vos meminiſſe juvat.
Hìc anni, horarumquè vias, hìc fortè propinquam
Cernere dat vobis ſors revoluta diem.
Quæ memoranda dies (ò me ſi vate propinquet)
Sithonia Auroram compede amica levet.
Jnſulæ hoc magni, RAPHAEL, maris; hoc, tua regna,
Te poſcit tanto vindice freta Rhodus.
En age, qui nuper ſuperis mihi laberis oris,
Subripe, ait, ſævo regia colla jugo.
Albatam da ſigna crucem præfigere muris,
Jlla triumphatæ ſigna cruenta necis.
Iam ſatis ah dedimus pœnarum. decute palmis
Vincula, & in priſcos da remeare modos.
Alta ſuperſtitio latè tenet. hìc Mahometes,
Veriùs at colitur pro Mahomete furor.
Et templis, Superumquè piis deſuevimus aris:

Et

Et vera pietas impietate viget.
Magnanime, ista tui poscunt miracula mores;
Unum te magnum maxima facta manent.
Majorem intereà meditabimur ære colossum
Ponere, qui Thracis colla resecta gerat.
Si tamen hic fatorum ordo, & memoranda paratur
Fama tibi, accisas qui reparabis opes:
Nil queror; hac mercede placet cecidisse: juvatquè,
Materiam famæ supposuisse tuæ.
Dicar ab integro tellus tua. Regia rursus,
Luna ubi deficiet barbara, solis ero.
Tergite jam lacrymas, si quid post funera curæ est,
Quos patriæ involuit cœca ruina Duces.
Tergite; nam nostro exoritur de sanguine Vindex,
Vestra piaturus funera funeribus.

AD INFANTIS IESV CVNAS

Musarum Modulatio.

DVm Rector Superùm, Sator Deorum,
Infans sub gelido quiescit antro,
Suffultus palea latus, micanti
Qui calcat pede sidera, & trisulco,
Crispans fulmina, terret igne terras;
Turba hanc intereà jocosa Pindi,
Nabla pollice conciens magistro,
Et vocum modulos, medullulamquè
Omnem næniolæ supinioris,
Hanc olli dabat ore cantilenam.
Veni, somnule, cura vagientum:
Veni, paruule somne, pax amantum,
Soporantibus advolans flabellis,
Sparge nectareo sopore cunas.
Pupe blandule, vena gratiarum,
Mellitissima cordium voluptas,
Dormi; carmina dicimus, puelle:
Tibi dicimus, ò puelle, dormi;
Sat datum est lacrymarum, & ejulatus.
Dormi candidior cycno, rosæquè
Ter ostro rubicundior rubente.
Quid ploratibus asperas ocellum?
Quid rorat gena purior salillo,
Quæ cingens saturum rosis labellum,
Flavo cingitur hinc, & hinc capillo?
Dormi delicium, leporquè matris,
Ardor Cœlituum, rapina amorum,

Et

Et suspiria mitte;namque puri
Hæc lactis tibi ponitur sitella:
Agnellusquè receptus à mamilla:
Et gemella soror, nivalis agna,
Cujus ubera jam sororiantur.
Et fraga, & melimela de canistris
Servamus tibi: sertulumquè florum,
Anni quos aliena fert voluptas,
Per tempuscula complicaverimus:
Rosas, caryophylla, liliumquè,
Nigrantem violam, ligustra, & hortis
Quantum graminis est amœnioris.
Somnum concipe, mi puelle belle:
Somnum concipe, belle, mollicellum;
Sat datum est lacrymarum, & ejulatus.
Benè est; jam tacito puellus ore,
Pusillo lateri incubans, honesto
Vix reciprocat ore: vix tremente
Labcllo celeres lacessit auras.
Nutat palpebra: pupulæquè somnum
Quærentes posuere: defluuntquè
Rarò lacrymulæ sereniores.
Ergò somniferi silete cantus:
Vsque dum velit ipse, dormiatur.
At quid hoc? neque dormit omnis infans;
Et dum lumina colligit sopori,
Jdem imaginibus futura mortis
Jn suspiria corculum fatigat.
Iam subdit rigido armulos flagello:
Et jam spinea serta consalutat.
Saltus ambulat; undè ponderosæ
Funestam crucis arborem elaboret.
O solatiolum omnium dolorum,
Nunquam tune dolore feriatus?

Ah nos, quàm malè debitum abrogamus,
Hoc si fœnore non amaverimus,
Ut, si infantulus appetit dolere,
Nostrùm quilibet ardeat perire:
Rursus vivere: rursus indè vitam,
Et quantum sibi conditur cruoris,
Sic profundere, ne sit ulla nostræ
Finis, aut modus immolationis.

POETA MVSAS

Quòd ipsi à scribendis versibus parum successerit, jubet, res suas sibi habere.

CUi scribo vacuos lepore versus?
Cui paro triplices nihil salitos,
Nec naso madidos Catoniano?
Quid hæc ludere prurit? abstinebo:
Ne quis de grege dicat insolentum,
Carpens unguibus ista vulturinis:
'Oho, somnia multa, codicilli,
Quod nobis benè sit, venite ad ignem.
Vel, quod fœdius est, salariorum
Quærat scrinia, sive nugivendi
Plenas unguine manticas recenti;
Bellè exibilet undè penulatas
Haleces, oleasquè, capparesquè,
Et quantum domuit garum per annos.
Nam si axungia, crustulumve lardi,
Hàc stillantis & hàc, jubente flamma,

Mem-

Membranas raperet laboriosas;
Papæ quàm benè sentiunt pöetæ,
Qui deliria farciunt popinis:
Ut sibi hinc inimica tela linguæ
Convertant, satyræquè dent cachinnum, &
Quidquid est salium procaciorum.
Vitans ipse sed hæc, stylum in tabella
Duxi vertere, diligens haruspex,
Cujus non lituum procella fallit.
Quamquam si benè libripens vocas rem
Ad pondo, haud licet in jocos laborem
Sic profundere: seriis relictis
Nugas vendere. quippe non merendæ,
Non scriblita, epidipnides, & omne,
Quod mensæ appositum volunt secundæ:
Non jentacula comprimunt latrantis
Sermonem stomachi; sed igne vivo
Pulmentaria firma, quæ valerent,
Lurconum ingluviem improbam domare.
Ergò, quandoquidem esse tam disertis
Nobis non licitum est, valete lauri.
Non sum mancipii ultra Apollinaris
Cepi vindicias; valete musæ.
Vos Artes potiùs rotundiores,
Ructantes tumida altiora bucca,
Majores date cogitationes.

Et.

Errata.		*Corrige.*
pag.39.v.14.	fluuvios	fluvios
pag.42.v.27.	tollerabilior	tolerabilior
pag.50.v. 8.	νε ναυάγηκα	νεναυάγηκα
pag.58.v, 3.	cæpit	cepit
pag.88.v.34.	meorunque	meorumque
pag.98 v.18.	uttunque	utrumque
pa.111.v.12.	cæperat	ceperat
pag.120.v.9.	cæperat	ceperat
pa.166.v 19.	Syrius	Sirius
pa.280.v 15.	Menalus	Mænalus
pa.372.v.15.	ſuppellex	ſupellex
pa.414.v.24.	protendere	portendere